ACTA
SOCIETATIS IABLONOVIANAE
DE
SLAVIS VENEDIS
ANTIS
VILZIS ET SORABIS
ALIQVID
DE VANDALIS ET HENETIS
TVM
DE VARIIS DISTANTIAS
GEOMETRICE ET TRIGONOMETRICE METIENDI RATIONIBVS
ANNI MDCCLXXII

TOMVS III

LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA
CIↃ IↃ CC LXXIII.

Trado Tibi, beneuole Lector, has virorum doctorum dissertationes, sub auspiciis Maecenatis nostri ab integerrimis Iudicibus aut publice laudatas, aut praemiis ornatas, quas pro suo litterarum amore in

historiae Sarmaticae et Slauicae incrementum, optimorumque ingeniorum incitamentum exhiberi commendarique voluit reipublicae litterariae. Quod Principis consilium, vt est ingenuum, liberale, et ab omni ostentatione alienum, non poterit non intelligentissimis quibusque et litterarum amantissimis omnino probari.

Ego vero ingenue laetabor, si mea qualiscunque cura et diligentia voluntati Celsissimi Principis, qui me ei rei in hunc annum praeesse voluit, et tuae, Lector, expectationi satisfecerit.

Non

Non ignorauit Societas Iablonouiana, propter rerum tradendarum antiquitatem, ſcriptorum medii aeui barbaram obſcuritatem, et rerum Slauicarum incredibilem inconſtantiam, multa reperta eſſe, quae diligentius definienda et latius diſputanda viderentur; neque vnquam ſcriptoribus ſuis eam ingenii felicitatem arrogauit, vt tantis litterarum tenebris ſoli lucem afferre poſſent: modeſtiam tamen in reprehendendis illorum lucubrationibus, et animum, ab omni partium ſtudio remotum, ab aequiſſimis quibusque Iudicibus expectat. Seruet

Deus

Deus optimum Principem, dulce litterarum decus, et Te res Tuas feliciter agere iubeat.

Lipſiae Kal. Febr. ꟾↄ Iↄ CCLXXIII.

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS
PROF. PHILOSOPHIAE ORDINAR. COLLEG. MAI.
PRINC. SODALIS.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
VENEDIS ET ANTIS
EORVMQVE
SEDIBVS ANTIQVISSIMIS
PRO ANNO 1772.

ΠΕΡΣΕΥΣ.

Per Reverendum Patrem Franciscum Pubitschkam
S. I. Pragensem.

OSTENDITVR EX HISTORIA ET GEOGRAPHIA, VBINAM FVERINT ANTIQVISSIMAE SEDES VENEDORVM ET ANTIVM.

Recte ſapienterque cenſuit *Celſiſſimus Princeps Iablonovius*, perpetuus bonarum literarum Promotor, quaeſtionem de antiquis ſedibus Venedorum, Antarumque, ſeu Antium (idem eſt de Slauis, ſeu Slauinis Antarum conſanguineis) ventilandam proponi; quippe quod *Idem* perſpicue intellexit, quaeſtionem hanc non nouam quidem, ſed ita tamen a Viris eruditis paene multis eſſe pertractatam, vt certa de iis ſententia nondum ſtatui poſſe videatur. Adde, quod nonnullorum eo progreſſa ſit contentio, vt facile appareat, non, quod verum ſit, ab iis proditum eſſe, ſed ne nihil omnino iſto in argumento dixiſſe viderentur, multa verba feciſſe. Sunt enim, qui Venedorum gentem ex Scandinauia repetant, eosque confundant cum Vandalis, tanquam nullum, niſi quod ad nomen attineat, inter ipſos diſcrimen deprehendatur. 1) Verum iſtorum opinionem iam dudum Balbinus, Bangertus, ac Schurtzfleiſchius refutarunt. 2) Alii veteribus Scythis Slauorum

 (idem

1) Crantzius in Vandalia, quem ſequutus eſt Epiſcopus Schleinicius in Vandalo-Boëmia MS. in cuius Prologo diſerte haec propugnat.

2) Balbinus l. Miſcell. Dec. I. Bangert in notis ad Helmoldi Chron. c. 2. p. 9. Schurtzfleiſch. Diſſ. hiſt. polit. XXX. de rebus Slau.

(idem eſt de Antis, ſeu Antibus) nomen ſupponere non dubitant; inter quos Orbinus inprimis numerandus eſt, cum ipſum adeo Scytham illum apud Alexandrum, vt Curtius tradit, ſuperbius perorantem, *Slauum* dicere non veretur. [3] At, ſi in hoc ipſis ſubſcriberemus, dicendum quoque foret, omnes Europae, Aſiaeque gentes, quas antiqui Geographi non ſatis norant, dummodo in Aquilonem vergerent, Slauos poſſe nominari, quod eos illi communi nomine Scythas appellauere. Minime vero ferenda eorum libido eſt, qui in obuia quaeque populorum nomina inuolant, eaque Venedice, ſeu Slauice conantur interpretari, vt Venedorum, ſeu Slauorum antiquas ſedes nobis poſſint patefacere. Ex ea quidem, vt alia hic omittam, manauit non vetus ille plane, ſed tamen hoc inprimis tempore egregie caſtigatus eorum error, qui Czechorum ſedem in veteri Zichia, Lachorum, ſeu Lechitarum in Lazia, Moſchōs ad Moſchicos montes ſe inueniſſe ſomniabant. Hunc errorem, quem ciuitate donatum iri, eius patroni falſo ſperauere, recte nuper exploſerunt Viri eruditiſſimi plurium academiarum; et ab auctore chronologiae [4] rerum Boëmicarum opinionis iſtius inanitas detecta eſt, qui oſtendit, eam praeter infirmam, ac miſeram nominum ſimilitudinem nihil habere ſoliditatis. Portenti ſane ſimile, cum nuper adhuc aliquis, [5] infirmae huius opinionis qualecunque patrocinium ſuſcipiens, quaerere non dubitauit, fueritne, qui Zichos Czechorum maiores Slauos non fuiſſe oſtenderit. Vtrum homini, partium ſtudioſo, id quod tam multis in locis etiam ad faſtidium vſque declarauit, quidquam oſtenſum, ac perſuaſum, aut non perſuaſum ſit, non

3) Orbinus nel Regno degli Slaui p. 12. 13. Q. Curtius l. 7.

4) Vide Chronologiſche Geſchichte P. I. ad annum 480.

5) Böhmiſche Münzbeluſtigung. B. I. S. 65.

non laboramus. Hoc tamen etiam pro certo teneat, si nihildum demonstratum est, minus certe demonstratum esse, Zichos veteres Slauos fuisse. Verum non ea nunc res agitur, satisque est, eruditis nihil istorum, quae patroni infirmae huius opinionis adhuc attulerint, probabile visum, solum iis certa apparere, qui partium studio, quod vitium eruditionis sincerae gloriae vt maxime aduersum est, supra, quam dici possit, occupati, foetus suos, etsi spurios, odisse turpe arbitrentur. Quanquam si argumentum propositum penitius inspexerimus, deprehendemus sane, non tam operosum esse, opiniones quorundam conuellere, quam operosum sit, certi aliquid, aut saltem, quod eruditorum iudicio sese approbare possit, definire. Ac difficultatis istius quidem ratio inde manat, quod nomen *Venedorum* apud scriptores seculo primo alteroue, *Slauorum* vero ac *Slauinorum*, aut si mauis, *Sclauorum*, ac *Sclauinorum*, *Antarumque* apud seculo VI. antiquiores frustra quaeras. Nam Venetos ad Adriam, atque in Gallia quondam celebres, quos aliqui Venedos, et eiusdem corporis cum Slauis fuisse sibi persuadent, cum Venedis, seu Slauis confundendos non esse, postea ostendemus. Primi autem, quod sciamus, qui nomen Venedorum memoriae proderent, Plinius scriptor latinus, Cornelius Tacitus et ipse latinus, ac Claudius Ptolemaeus celebris geographus graecus, fuerunt. [6] Paullo deinde vberius de Venedis, seu etiam Winidis, sed iam in Slauinos et Antas diuisis, Iornandes seculi VI. scriptor, R. Gothorum Notarius, vt deinceps ostendam: Procopius vero Caesariensis Synchronus de iisdem Slauinis et Antis, at dissimulato Venedorum nomine,

6) Plinius l. 4. c. 13. n. 27. edit. graeco-lat. Sansonii, seu l. 3. c. 5. Tabula VII. Europae. Tacitus de moribus Germ. cap. 46. Ptolemaeus l. 3. geograph. p. 81.

mine, commemorarunt. [7] Neque enim recenti ſcriptori Cl. aſſentior, qui ſcribit, [8] Procopium, quoties fere de Slauis mentionem feciſſet, toties haec duo: *Slauos, vel Venedos*, coniunxiſſe. Equidem Procopium diligenter, idque ſemel, iterum, ac ſaepius conſului; at ne ſemel quidem illum *Slauos* cum *Venedis* coniunctione *disiunctiua* copulaſſe deprehendi; nec difficulter iſta in re ſcriptori laudato aſſenſurum me profiteor, ſi quis mihi revera locum aliquem in Procopio oſtenderit. Venetos Procopius quidem nominat, ſed modo ad Adriam colentes Venetianos, [9] modo eos, quos Graeci Cyaneos, κυανέους, vocabant, ſeu *caeruleos*, a cyaneo, ſeu caeruleo colore, aut etiam aqueo. [10] Nam colorem κυάνεον, caeruleum, et aqueo ſimilem hic recte dici, non negabit, cui factiones, Praſinos inter et Venetos, quondam celebres non ſunt ignotae. [11] Sunt, qui Herodoto ſcriptori graeco (Iſaiae tempore vixit [12]) Venedos ad mare Balthicum colentes, ipſo etiam nomine notos fuiſſe contendant, ex eo, quod vbi electrum, ſeu ſuccinum proueniret (prouenire autem iſtic omnes norunt) non ignorauerit;

7) Iornandes de reb. Get. c. 5. Procopius Caeſ. l. 3. de bello Goth. c. 14. et alibi.

8) V. Prodromus Hagecian. Annal. pag. 123.

9) Procop. l. 1. bell. Goth. c. 15.

10) V. Idem arcan. hiſt. c. 7. et Alemannus in Notis. Et bello Perſ. l. 2. c. 11.

11) V. Procop. l. 7. hiſt. arc. l. 1. de bello Perſ. c. 11. et c. 24. Sueton. in Vitellio c. 14. Praſinae. Dio l. 59. de orig. Venet. et Praſin. Chronic. Paſchale ad a. m. 4756. Theophanes ad ann. 9. Iuſtini, et ampliſſimae notae in eum Iacobi Goar. Alemannus in c. 7. Procop. hiſt. arcan. Etiam apud ſcriptores veteres graecos κυάνεος caeruleum ſignificabat. Sic Heſychius κυάνεον dixit colorem, qualis coeli facies ſit, cum nubes abſint, εἶδος χρώματος οὐρανοειδὲς. Sic Ariſtoteles *aquam maris* θάλατταν κυάνεαν appellauit.

12) Sic Baierus in Comm. Petropol. At Ricciolus Herodotum natum anno ante Chriſtum 488. ſcribit.

rit; tametſi accolarum nomen ipſum non prodiderit. Locum Herodoti ipſum producam, quo res clarior euadat: ὄυτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι, Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐνδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐστὶ — τοῦτο μὲν γὰρ Ἠριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ οὔνομα, ὡς ἔστι Ἑλληνικὸν, καὶ οὔτι βαρβαρικὸν, ὑπὸ ποιητῶν δέ τινος ποιηθὲν etc. *Neque enim aſſentior, fluvium quendam eſſe, Eridanum a barbaris vocitatum, qui ſubit mare ad ſeptemtrionem ſpectans, vnde electrum venire narratur. — Nam vel ipſum coarguit nomen Eridanus, quod graecum eſt, non barbarum, ab aliquo poëtarum fictum — ab extrema itaque ad nos venit ſtannum, electrumque.* Eridanum nempe Graeci, quo aptior eorum ori vox eſſet, dixerunt pro Rhudone, vt Marcianus Heracleota, non, vt Ptolemaeus ſcribit, Rhubone, hodie *Duna*, prope Rigam fluuio. Nolim vocare in dubium, notine Herodoto barbari illi de nomine fuerint, an non? imo credibile eſt, audiuiſſe illum Venedos dici, a quibus ſinum ipſum Venedicum dictum eſſe, Ptolemaeus poſtea docuit. Deinceps tamen Venedorum illorum nomen apud ſcriptores vsque ad Plinium, Tacitumque, ac Ptolemaeum, in tantam venit obliuionem, vt ipſum adeo fluuium Rhudonem, quem Eridanum, vt dixi, vocauere, in Italia quaererent, fortaſſe, vt ego quidem arbitror, quod Henetos in Italia conſidentes cum Venedis illis confunderent, atque vnam eandemque gentem Henetos et Venedos, etſi falſo, vt opportuno tempore conabimur oſtendere, ſibi perſuaderent. Vidit graues ſcriptorum de inſulis electridibus, vbi ſuccinum proueniret, errores Plinius, et pro merito caſtigauit, cum l. 3. c. 26. n. 30. ita ſcripſit: *Iuxta eas* (Abſyrtides) *Electrides vocauere, in quibus proueniret ſuccinum, quod illi electrum appellant, vanitatis graecae certiſſimum*

documen-

documentum, adeo, vt, quas earum deſignent, haud vnquam conſtiterit. Ita quidem ille, tametſi neque ipſe certiora docuerit, cum l. 4. inſulas illas *ab aduerſo* Britannicarum per mare Germanicum ſparſas, falſo exiſtimauerit. Gratia nihilominus referenda Plinio eſt, quod vel primus, de quo conſtet, Venedorum nomen nobis tranſcripſit. [13] Secutus eum Cornelius Tacitus eſt; ſed prope aberat, quin Venedos ipſos Sarmatico corpore exemtos, Germanico inſereret. Sic enim ille de Germ. mor. c. 46. *Peucinorum, Venedorumque et Fennorum nationes Germanis, an Sarmatis adſcribam, dubito.* Sed ſalua res eſt: Iornandem habemus, qui Winidarum (ſic enim Venedos etiam vocatos oſtendit) nationem in Slauinos et Antas, vtrosque Slauici corporis et linguae homines, diuidi luculenter docuit, vt adeo minime de hoc ſit dubitandum. *Introrſus*, inquit ille c. 5. de reb. Get. *illi* (*Scythiae primae*, quam alii fere Sarmatiam dixere) *Dacia eſt, ad coronae ſpeciem arduis alpibus emunita, iuxta quorum ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Viſtulae fluminis, per immenſa ſpacia venit, Winidarum natio populoſa conſedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclauini et Antes nominantur.* Sed et Ptolemaeus ante Iornandem dubitationem Taciti ſuſtulerat, qui l. 3. geogr. l. c. ita ſcripſit: *Tenent Sarmatiam gentes maximae; Venedae per totum Venedicum ſinum, et ſuper Daciam Peucini, et Baſtarnae, et qui totum Maeotidis latus, Iapyges et Roxolani, et qui interiores ſunt iis, Hamaxobii, et Alauni Scythae. Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Viſtulam quidem*

13) Sic vero Plinius, poſtquam *Eningiam* (*Finningiam*, vt eadem ſit cum Fennia, legendum Harduinus in notis ad l. 4. c. 13. n. 27. vbi de Eningia et Venedis Plinius agit, monet) paucis verbis perſtrinxit: *Quidam*, inquit, *haec habitari ad Viſtulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scirris, Hirris, tradunt.*

dem fluuium; ſub Venedis Gythones et Phinni; poſt: Bulanes, ſub quibus Phrungundiones, poſt Auarini iuxta caput Viſtulae amnis. Sub his Ombrones; poſt: Anatrophracti; poſt: Burgiones; poſt Arſyetae; poſt: Soboci: poſt Piengitae, et Bieſſi penes Carpatum montem. Iis omnibus orientaliores ſunt ſub Venedis quidem iterum Galindae, et Sudeni, et Stauani, vſque ad Alaunos. 14) *Venedicum ſinum* ab adſitis Venedis dictum eſſe, verba Ptolemaei luculentius docent, quam vt id probare neceſſe videatur. Cumque, eodem teſte ſcriptore, Venedi, ſeu Venedae, per *totum* Venedicum ſinum coluerint: dicendum eſt, eos a Viſtula fl. qui, vt idem auctor narrat, Germaniam a Sarmatia dirimeret, ad Finnos vſque habitaſſe, atque apud eandem gentem ſuccinum proueniſſe, toto iam olim orbe notum ac celebratum. Huc valet locus Plinii paullo ſuperius citatus. At hoc pacto fortaſſe a Tacito recedemus? ait enim is c. 45. de moribus Germanorum: Non Venedos, ſed *Aeſtyorum* gentes dextro Sueuici maris littore, quod idem eſt cum Ptolemaei ſinu Venedico, allui, neque Venedos, verum Aeſtios, electrum ſeu ſuccinum legere. * Verba Taciti ſic habent: *Dextro Sueuici maris littore Aeſtyorum gentes alluuntur*; et paullo poſt: *Sed et mare*, inquit, *ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi Gleſum vocant, inter vada, atque in ipſo littore legunt.* Praeterea, ſi, praeter Venedos, tot alii populi ſtatuuntur in Sarmatia, quomodo credibile fiet, Venedorum nationem maximam fuiſſe, tantam nempe, vt, quidquid inter Wolgam et Daniam, mare item Balthicum et Graeciam interſit, implere potuerit? De his rebus nunc differendum

14) Ptol. l. 3. Geogr. pag. 81. edit. graeco-lat. Sanſonii, ſeu l. 3. c. 5. Tabula VII. Europae.

dum erit, ne initio adhaerefcat oratio. Primum fic cenfeo: neque Ptolemaeum, neque Tacitum hallucinatum effe; atque Ptolemaeum de vetufto tempore, et antequam Aeftii regionem ad Electrides occupaffent; Tacitum de fuo, et, poftquam in locum Venedorum Aeftii fucceffferint, loqui. Alioqui enim, fi Venedi ea regione penitus excludantur, a qua, amabo, gente *Sinus* ille maris Baltici, Venedicus nuncupari potuit? Et pofterius vero regionem illam Aeftios occupaffe, ac poftea ibidem refediffe, argumento eft, quod gentem hanc iftic, feculo VI. et VIII. definente, Caffiodorus et Eginhardus; ille feculi VI. hic feculi IX. fcriptores, habitaffe, annotauerint.[15] Adiungo vtriusque fcriptoris verba. Ac Caffiodorus quidem litteras Theoderici Regis, ad Aeftios datas, quibus de fuccino transmiffo gratias agit, fic refert: *Haeftis Theodericus rex. Illo et illo legatis veftris venientibus grandaeuos ftudium notitiae habuiffe cognouimus, vt in Oceani litoribus conftituti cum noftra mente iungamini; fuauis nobis, et admodum grata petitio, vt ad vos pertineret fama noftra, ad quos nulla potuimus deftinare mandata. Ideo falutatione vos affectuofa requirentes indicamus, fuccina, quae a vobis per horum portitores data funt, grato animo fuiffe fufcepta: quae ad vos Oceani vnda defcendens hanc leuiffimam fubftantiam, ficut et veftrorum relatio continebat, exportat* etc. Eginhardus vero fic habet: *Hunc finum* (Balticum mare fic nominat) *multae circumfident nationes: Dani fcilicet, et Sueones, et quos Hormannos vocamus, feptentrionale litus, et omnes in eo infulas tenent: at litus auftrale Slaui* (fic enim Venedi feculi octaui fine tuto iam nominari poterant) *et Aefti,* *et*

15) Caffiodor. l. 5. Variar. c. 2. Eginhard. in Car. M. vita c. 12. V. Hartknochii Pruffia vetus P. I. Ep. 1. p. 24. Iuft. Dithmarus in Tacitum de moribus Germ. p. 242.

et aliae diuersae incolunt nationes. Caſſiodoro accedit Iornandes, ſeculi itidem VI. ſcriptor, cum de *Itemeſtis* (legendum *Aeſtiis*, recte, opinor, monet Hartknochius) ſic ſcribit: *Ripam Oceani tenent, pacatum genus omnino;* et c. 23. vbi aperte, praeter Venedos, Slauinos etiam et Antes vocat, ſic habet: *Aeſtiorum quoque ſimiliter nationem, qui longiſſima ripa Oceani Germanici inſident, idem ipſe* (Emmericus Gothorum Rex) *prudentiae virtute ſubegit.* Aeſtii ſine dubio Gothici corporis homines erant; tametſi eorum lingua ſenſim ſeu ad Slauicam, ſeu ad Finnicam degenerauerit. De corpore Gothico teſtatum faciunt non ſolum litterae Theoderici, paullo ante adductae, ſed etiam inſcriptio ſepulcralis Boleslai Chrobri, vbi *Rex Gothorum*, ſeu *Polonorum* nominatur, inde nempe, quod Gothi aliqui in vnam cum Polonis gentem deinceps coaluerint, aut quod eo loco reſideant Poloni, quem Gothi Aeſtii olim occuparunt. Immo et eadem de cauſſa Gothicas voces ſibi Poloni aſciuiſſe dicuntur. Fortaſſe Aeſtii hi iidem erant, quos Pytheas apud Plinium Guttones, tanquam de Gothis ſint, vocat. 16) Sed et Tacitus Aeſtios Germanos fuiſſe non obſcure prodit, cum eos praeter ritum habitumque Sueuis communem (quod quidem argumentum ad gentilitatem eandem probandam non ſufficere, ſuo loco oſtendemus) lingua Britannicae propiore vſos, et *frumenta caeteroſque fructus patientius*, quam NB. pro ſolita Germanorum inertia, laborare, aſſeuerat. Ex hoc quidem, quod Tacitus linguam Aeſtiorum Britannicae pro-

De reb. Get. c. 5.

 piorem

16) Sic vero Pytheas apud Plinium l. 37. c. 2. Pytheas Guttonibus Germaniae genti accoli aeſtuarium Oceani, Montenomon nomine, ſpacio ſtadiorum ſex millium (Cluu. l. 3. Germ. ant. c. 34. *ſexcentorum* corrigit) credidit. Aeſtuarii nomine non eſt dubium, quin Pytheas locum, vbi ſuccinum colligeretur, voluerit deſignare. Idem forte eſt de Sciris et Hirris, a Plinio l. 4. c. 13. iſtic locatis.

piorem fuiſſe aſſeueret, Cluuerius l. 3. Germ. ant. c. 45. exiſtimat, Aeſtios eam in prima ſede iuxta Rhenum per commercia cum Britannis didiciſſe; at ſine vllo fundamento. Veriſimilius eſt, quod Dithmarus habet, [17] Aeſtiorum veterum populorum occidentalium linguam *Scytho*-Celticam, quam Britanni quoque diutius retinuerint, fuiſſe. Quando autem Aeſtii, depulſis Venedis, littus illud auſtrale occupauerint, nemo ſcriptorum memoriae prodidit. Valuerit igitur adhuc Hartknochii coniectura, quippe hiſtoriae veteris temporis, vt ego quidem arbitror, prorſus conſentanea, qui ait, Aeſtios, cum Gothos ex Pomerellia et Caſſubia Pontum Euxinum verſus (de quo motu Iornandes videri poteſt) mouentes, ſequerentur, depulſis ab littore Venedis, iſtic conſediſſe.

Declaratum eſt, quomodo ſinus Venedicus, tametſi Aeſtii ſeu Aeſtyi eum occupauerint aliquando, nomen ſuum Venedis acceptum referat. Nunc in eo verſabitur conatus noſter, vt, quomodo credibile ſit, Venedos, quibus ſcriptores ſatis anguſtos deſcribere limites videntur, tam amplam tamen nationem fuiſſe, quae tot deinde regiones potuerit implere, inueſtigemus. Regiones iam ſupra generatim ſaltem, quod hic ſufficiat, deſignaui; vt nihil dicam de cladibus, quas ante, quam regiones illas potiſſimum inter Graeciam, Iſtrum, mare Adriaticum, et Franciam occuparent, perpeſſi fuerunt. De iis Iornandes, Procopius, Menander, aliique videri poſſunt. Haec certe ſunt, quae gentem indicent fuiſſe maximam; ſed vbi conſederit olim, non facile videtur poſſe explicari. Et quanquam Ptolemaeus, Iornandes, ac Procopius in primis, vt mox videbimus, Venedorum ſedes omnium optime nobis patefecerunt: non minimam tamen rationibus noſtris

17) V. Iuſt. Dithmarus ad c. 45. Taciti pag. 242.

noſtris difficultatem obiicere videntur alii tot populi, quos Venedis ita vicinos fuiſſe laudati ſcriptores docent, vt Venedis minus terrarum ſpatium, quam quod gentis huius amplitudo requirat, relinquere videantur. Sed neque illud auſpicatius fortaſſe cadit, quod Iornandes et Procopius alias praeterea *Antarum*, Venedici generis hominum, ſedes, a Venedis diuerſas, nobis patefecerunt, idque propterea, quod ipſas illas ſedes, in quibus coluiſſe Antas iidem tradunt, olim ab aliis populis inſeſſas fuiſſe, vix poſſumus dubitare. De his rebus mihi diſtinctius diſſerendum, et difficultas prius omnis, quam ad caetera progrediamur, penitus eſt explicanda; id ſi feliciter dederimus perfectum, ſpem habemus, fore, vt reliqua non improbabiliter conſtituamus. Ac ſinum totum Venedicum a Ptolemaeo Venedis attributum eſſe, oſtenſum ſuperius eſt, cum locum ipſum Ptolemaei adduceremus. At tot populi, quos idem in Sarmatia locat, quantum, oro, ſpatium Venedis relicturi ſunt? Sub Venedis Gythones (putem eosdem eſſe, quos Pytheas *Guttones*, Tacitus *Aeſtyos*, Plinius *Scyros* et *Hirros* nominauit: niſi potius Aeſtii dicendi vna gens fuerit, ex omnibus his populis conflata) et Phinnos; Bulanos, aliosque ſub diuerſis nominibus populos collocauit. Cluuerius certe vnos Aeſtios latiſſime coluiſſe ait. Nam et Pruſſiam, et totam Curiam, Liuoniam quoque, Podlachiam, et Maſuriam, vt hodie vocantur, iis attribuit. Tacitus *Peucinos* ſeu *Baſtarnas*, quos Ptolemaeus duplicem videtur gentem facere, opponit Venedis, hosque, *quicquid inter Peucinos Fennosque ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis ait pererrare.* V. Tacitus de mor. Germ. c. 46. Peucinos illos, ac Baſtarnas ſuper Daciam coluiſſe, poſt Tacitum etiam Ptolemaeus affirmauit. Strabo vtroque antiquior ad Tyram

fluuium: Scymnus Chius, qui Mithridatis tempore viuebat, vicinos Thracibus fecit,[18] eosque Tacitus Germanis accenſet.[19] Omitto *Vidioarios*, quos Iornandes ad oſtia Viſtulae ſtatuit,[20] atque penes Itemeſtos, forte *Aeſtios*, vt iam ſuperius annotauimus, locat. Suſpicari enim quis poſſit, Vidioarios, tametſi dicat eos ex diuerſis nationibus aggregatos fuiſſe, eosdem eſſe, quos idem Iornandes c. 17. Vinidarios dicit, tanquam ex Winidis aliisque populis coaluiſſent. Haec ſi attendantur: quantum terrarum ſpatium, oro, Venedis, ſeu Winidis in eadem Sarmatia relinquetur? Dicat etiam Iornandes,[21] Winidarum nationem populoſam ad ſiniſtrum latus Dacicarum Alpium, *quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Viſtulae fluminis per immenſa ſpacia venit*, conſediſſe? Addat idem: Sclauinos a ciuitate noua (fortaſſe Nouogradum ad Boryſthenem, aut alia quaedam ciuitas intelligenda hic eſt) *Sclauinos* inquam a *ciuitate* noua, et *Sclauino Rumunenſe et lacu, qui appellatur Muſianus, vſque ad* Danaſtrum, et Boream *Viſola tenus* fuiſſe commoratos. *Ibi*, verba ſunt Iornandis, *paludes, ſiluasque pro ciuitatibus habent, Antes vero, qui ſunt eorum fortiſſimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danaſtro extenduntur, vſque ad Danubium, quae flumina multis manſionibus ab inuicem abſunt.* Chriſtophorus de Iordan exiſtimauit[22] ſe *ciuitatem nouam*, vti *Sclauinum Rumunenſe* ac *Lacum Muſianum* ad Danubium reperiſſe. *Ciuitatem* enim nouam, *Nouas* vrbem in ora Daciae *Lederatae*; de qua Procopius l. 4. aedif. c. 6. oppoſitam

18) Οὗτοι δε, inquit Scymnus Chius pag. 46. edit. Hudſon. Θρᾶκες Βαςάρνοι τ' ἐπήλυδες.

19) Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede ac domiciliis, vt Germani, agunt, inquit c. 46. in German.

20) Iornandes de reb. Get. c. 5.

21) Iornandes de reb. Get c. 5.

22) Iornand. de orig. Slau. T. II. Sect. 32. n. 473.

positam esse dixit, quae in tabula Peutingeriana *ciuitas noua* vocaretur, distans a Margo fl. M. P. XLVI. seu 11 et ½ milliaribus geometricis. *Sclauinum* autem *Rummunense*, hodiernum esse *Romunazzi* in Walachia ad *Alutam* fl. ac *lacum Musianum*, seu rectius Mysianum, in Mysia, seu Moesia, prope a *Vidino* hodierno, Alutae ostio opposito, quaerendum affirmauit. Equidem Iordani opinionem nec probo, nec improbo; magis tamen inclinat animus, vt suspicer: Iornandem de suo, quo vixit, et scripsit tempore, loquutum. Nam Venedos, seu potius Winidas et Venedos, in quos post Herulorum caedem Ermanricus (vixit is circa illud ipsum tempus, quo Hunni Europae imminebant, et Gothos e Dacia expulerant) arma commouit, nondum ad Alutam, aut in Moesia hoc nomine notos fuisse, ex Iornande luculenter eruitur. Ad haec ante Gothos Scythae et Getae eam fere regionem, quae hodie Transiluaniae, Valachiae, Moldauiae, et Hungariae Tibiscanae nomine venit, insederant. Gothos, qui hunc ipsum terrarum tractum occupauerant, subinde Hunni in Thraciam expulerant, exceptis iis, qui seruato stirpis veteris principe Hunnis dicto audientes erant, et ad Pontum colebant; Hunnos post Attilae mortem cedere Gepedes coegerunt; quorum postremorum indulgentia, opinor, factum est, vt, quod fortasse iis manum auxiliarem seu contra Romanos, seu contra Hunnos, aut Longobardos Slaui et Antae dedissent, eosdem prope Istrum considere licuerit; quo transmisso, infestare seculo VI. Romanas ditiones coeperunt; vt ex Procopio constat.

Vtrum illi Scythae saltem, qui ante Gothos veterem Daciam tenebant, Slauici corporis populus, aut gens ex Slauis, seu Venedis compacta gens fuerit, deinde inquiram. Vltra Tibiscum, occidentem versus, Quadi, Carpi, Mar-

Marcomanni, et qui non longe ante illud tempus, quo Plinius, viuebant, Iazyges (quod nomen Straboni nondum notum fuiſſe videtur) vlteriora occidentem verſus inſidebant. Nec ſcio ſatis, vtrum Iazygas Venedis, an Germanis accenſeam. Plinius Sarmatas vocat, inter Danubium, Tibiſcum, et Carpathum ſitos. Sunt, qui Venedici corporis homines Iazygas fuiſſe putent, quod Venedis, ſeu Slauis Iazyk *linguam* ſignificet. Ranzanus Germanos fuiſſe ſcripſit, fortaſſe, quod medii fere inter Germanos (Gothos, Baſternas et Quados) habitarent. Ranzani opinionem quondam ipſe probaui; nec nunc adhuc muto animum, cum non conſtet, fortuito, an ab Iazik *lingua*, populus iſte ſuum mutuatus nomen fuerit: an non potius per contemptum, aut aliqua alia de cauſſa a Venedis, ad ortum Viſtulae colentibus, ſic appellati fuerint? Nam populo aliquando a vicinis nomen adhaeſiſſe, certum eſt. *Hungaros* Graeci Turcos dixere, cum ipſi *Magyares* ſe dicerent. Sic *Oirothae*, Calmucki, ſed per contemptum, appellantur. Nec obſtat, quod Iazygas Plinius Sarmatis adnumerauit. Iam enim pridem quorundam facilitatem improbaueram, cum Sarmatarum, Slauorumque nomen pro eodem haberent. Nam, qui Scythas a Sarmatis diſtinguit Herodotus, eosdem Scythas ea parte collocauit, in qua Germanae linguae homines poſuit. Placet recentis, ſed eruditi Viri iudicium: cum *Sarmatarum*, Scytharumque nomina, arbitrarie a ſcriptoribus veteribus vſurpari dicit, eosque, quos ſuo nuncupare nomine neſcirent, modo *Sarmatas*, modo Scythas dixiſſe.

Quodſi igitur ex his teſtimoniis antiquas *Venedorum* gentis ampliſſimae ſedes conſtituere adgredimur, nae oleum fere et operam, quod aiunt, perdituri ſumus! Alia proinde ad id praeſidia adhibenda erunt. Et fortaſſe lucem

cem his tenebris afferet nomen *Sclauinorum*, seu *Slauinorum*, *Slauorumque;* Antarum item ac Bulgarorum; quippe quos populos ad idem cum Venedis corpus referendos, linguae communio persuadet. Opportune istud; nisi quod nomina illa ab scriptoribus seculo VI. antiquioribus prolata non fuerunt. Scriptores ipsos superius iam laudauimus. Quod hi dant, accipiendum: dum vetustioribus auaritiam frustra exprobramus. Ac tametsi forte de recentioribus populorum istorum sedibus commemorare videantur: fortasse tamen ex iisdem coniectura non prorsus incerta de antiquis facienda fuerit. Initium Iornandes faciat.

Antes vero, inquit capite 5to de reb. get. supra citato, *qui sunt eorum* (Vinidarum) *fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro extenduntur vsque ad Danubium — Vltra quos* (Agazziros, quam gentem quoque fortissimam, probabiliter iam Hunnicam,[23] frugum ignaram, pecoribus et venationibus vitam tolerare dixit) *distenduntur supra mare Ponticum Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Hinc iam Hunni* etc. Habemus Antas et Bulgaros: illos a fluuio Danastro, vnde nomen *Niester* et *Dniester* manauit; Tyram Ptolemaeus, Mela, Scymnus Chius, Strabo, aliique; Herodotus τύρην, dixere, ad Danubium vsque: istos supra mare Ponticum, probabiliter ad Wolgam, porrectos. Tyritae ii Herodoti videntur esse siti ad Tyrae ostia, atque iidem, quos bello petitos, ac victos tandem grauiter afflixit Winitharius Amalus, Ermanrici apud Ostrogothos successor; is, qui cum suis in eadem cum Hunnis patria (Daciae veteris parte) commoratus, ac Hunnis subditus, insignia

23) V. F. Georg. Fray de Hunnis.

insignia principatus sui retinuit. Sic enim Iornandes c. 48. Winitharius *aui Ataulfi virtutem imitatus, quamuis Ermanrici felicitate inferior, tamen moleste ferens, Hunnorum imperio subiacere, paullulum se subtrahebat ab illis, suamque dum nititur ostentare virtutem, in Antarum fines mouit procinctum, eosque dum aggreditur, prima congressione superatur: deinde fortiter egit, Regemque eorum Box nomine* (significatu Regis late sumpto) *cum filiis suis, et 70 Primatibus in exemplo terroris cruci affixit, vt dedititiis metum cadauera pendentium geminarent.* Bulgaros deinde, quos ad Wolgam habitare suspicabar, opinor a Wolga sic dictos. Scio, hanc coniecturam eruditos quosdam advertere, quod omnis ratio nominis similitudine innitatur, argumento, quod copiosos alioqui errores in historia peperit. Mihi perinde est, vel si quis a Volgero *Bolgarum* Duce, de quo Paulus Aquileiensis, dictos Volgares, ac deinceps Bulgaros, existimet; de quo Rege, seu Praefecto quodam, aut Duce laudatus scriptor l. 16. ad annum Imp. Iustiniani 12 agit; nam, quod certum hic sit, frustra quidem inquisiuerimus. Quin autem id sentire non liceat, quod improbabile plurimis Viris doctis visum non sit,[24] et quod optime cum Iornande, Bulgaros supra mare Ponticum, sed magis ad septemtrionem, vt deinceps patebit, extendi, docente consentiat? Equidem non putem me aberrare longius a vero, si dicam, Bulgaros Iornandis, vel eosdem, vel saltem iis vicinos fuisse, quos Procopius *Antas* nominauit. Nam cum hic l. 4. de bello Goth. c. 4. populos, qui supra Ponticum mare sunt, qua septemtrioni oppositum est, enumerasset, subiungit: *Vlteriora ad septemtrionem habent Antarum populi infiniti.* Haec vero intelligenda de regione cis Wol-

24) V. D. Freret Institutio veteris historiae discendae obseruat. 6. ex versione Lipsiensi P. IX. pag. 86.

Wolgam sine dubio sunt. Nam vltra Wolgam Slauici corporis populos *olim* haesisse, nemo, credo, est, qui se ostendere posse confidat, nisi forte aut monimenta populi aut linguae patriae vsum produxerit, aut grauissimam caussam protulerit, cur gens tota terras illas relinquendas censuerit. Duo enim haec desiderari vulgo solent ad veteres populorum sedes designandas. At nihil istorum afferri potest. Nam qui hodie ad Orientem Wolgae colunt, Permacae Ostiacae, Vagoulitzi ac Czeremissi, Fennici corporis populi, coloniae a Russis istuc missae sunt. Quanquam ne sic quidem antiquae Venedorum, aut ipsis affinium populorum sedes rite detectae fuerint. Obstant Scythae, e veteri vltra Wolgam patria ab Issedonibus pulsi, ab Herodoto inter Borysthenem, et Tanaim, a Borysthene ad Istrum vsque collocati; vt videre est apud Cl. Bayerum, qui T. I. Comment. Petrop. Scythiae situm ex Herodoto ad oculum ostendit. Scythas autem a vicinis occidentem et septentrionem versus populis manifeste discernit Herodotus; vt adeo, qui Scythas sine discrimine Venedos, Slauos, aut Antas diceret, se merito praebiturus esset deridendum. Alia proinde mihi via ineunda est, vt sedes antiquae detegantur. Primum secernendi sunt populi a Venedico corpore prorsus diuersi: cultores regionis veteres a nouis distinguendi: qui populi etsi alio atque alio nomine ab scriptoribus diuersis proditi, probabiliter, atque ex prudenti coniectura Venedis, seu Slauis et Antis accenseri possunt? Nam et historia, vbi scriptores tacent, coniecturas etsi non amet forte, patitur tamen, ac sustinet. Primum Venedis sinus totus Venedicus, seu littus maris Balthici, quod inter Vistulam et Fennos interest, omnino tribuendus est. Addenda omnis ea regio, quae a sinu ad Carpathum, a Vi-

a Viſtula ad Boryſthenem porrigitur. Nam Aeſtii, Baſtarnae etc. pro aduenis agnoſcendi ſunt. Cumque hi ad Gothorum genus referendi eſſe videantur: credibile eſt, ſiquidem ex Pythea recte arguit Hugo Grotius,[25] eos, annis circiter 300 ante Chriſtum natum, iſthuc aduenisse. Adhaec arbitror, Venedos his aduenis locum ita feciſſe, vt vel ipſis vicini, vel immiſti eſſent, et quidem ita, vt Aeſtii (quemadmodum rectius Cl. Cellarius contra Cluuerium cenſet T. II. Geogr. antiq. L. 2. c. 5. p. 488.) in Boruſſiae et Poloniae hodiernae parte, quae trans Viſtulam eſt, vsque ad Fennos: Venedi vero a littore depulſi in reliqua Polonia, Liuonia item, ac Lithuania longe lateque extenſi habitarint. Nam Venedos ante Aeſtios ad ſinum coluiſſe, ipſum nomen ſinus Venedici indicat, vt iam ſuperius oſtenſum eſt: ſed neque iis regionibus prorſus depulſos fuiſſe, ex Iornandis loco citato luculenter conſtat, vbi ait: *iuxta ſiniſtrum latus Dacicarum Alpium, quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Viſtulae per immenſa ſpacia venit*, Winidarum nationem populoſam conſediſſe. Nullam Iornandes Baſtarnarum, ſeu Peucinorum, quemadmodum neque Phrungundionum, Burgionum, de quibus ante illum Ptolemaeus etc. mentionem facit; quod indicio eſſe puto, populos hos, quos Germanici, ſeu Gothici corporis fuiſſe ex Strabone colligimus, ſecutos pridem fuiſſe partim Vandalos, partim Gothos: Gepedas fortaſſe etiam ac Longobardos, praeter eos, qui ſeu cum Venedis, ſeu cum vicinis populis in vnam eandemque gentem diuturnitate temporis coaluere. Quanquam neſcio, vtrum Ptolemaeus tot alios populos iuxta Venedos recte collocauerit. Saltim de *Auarinis*, forte *Varinis*, dubito. Parui tamen refert, ſatisque nobis eſt, tuto nobis

25) Praef. in hiſt. Goth.

nobis Venedorum patriam, et quae certa sit, et antiqua, licuisse designare. Sic neque magnopere laborabo, omnesne, aut saltem plerique populi, quos itidem in Sarmatia Ptolemaeus posuit, Slauici generis fuerint, an mixti potius: vtrum a Venedis prorsus diuersi? cum certi nihil neque affirmari neque negari hic possit, scriptoribus vetustis de hoc perpetuo tacentibus, aut etiam tenebras in ipsis tenebris posteritati nostrae offundentibus. Sub *Venedis*, inquit Ptolemaeus, *Gythones* et *Phenni* etc. De Gythonibus dictum est. Phennos, vti et Aestios (Aestiuones) Lappones, Syranos, Permios, Mordiuanos, Tscheremissos, Votos, Vogulos, et qui ripas inferioris Irtischii et Obii accolunt Koudinos, seu Ostakos, lingua a Venedis distinguunt, qui interiorem populorum istorum, vt hodie sunt, notitiam habent, Scythicam eis tribuentes; nisi tamen, quod prorsus verisimile puto, prius istic Venedi consederint, ad quos postea se Scythae adiunxerint, sed, quod numero ac potentia Venedis praestarent, Scythicam linguam pariter induxerint.[26] Immo eosdem populos aliqua affinitate iungi cum Hungaris, ex linguarum, quibus vtuntur, cognatione affirmant.[27] De Hungarica non dubitem; sed tamen ita: vt linguam eam existimem in Fennos ab aduenis, qui in vnam gentem cum illis coiuere, illatam potius, quam Fennorum fuisse natiuam. At Estonicae, qui contulere, nihil esse dissimilius, quam Fennicam, luculenter ostendunt. Lithuanicam tamen, quae eadem hodie est cum vetere Prussica et Curlandica, probabiliter olim Venedicam, sed ex

 aliis

26) V. Eberard. Fischerus de Orig. Vngror. p. m. 18.

27) V. Fereti Instructio ad veterem hist. disc. ex vers. Lips. Gottsched. AA. Paris. Acad. P. IX. p. 101. Eber. Fischer cit. l. pag. 26, 27.

aliis ſenſim corruptam, inde ſuſpicor, quod linguae Venedicae non pauca prodat indicia, immo Lithuaniae incolas ab Iornande pro Winidis habitos, ex verbis eius alias adductis puto recte colligi. Neque liquet ſatis, quo nomine veteres Lithuaniae, Curlandiaeque populos, (nam haec recentiora nomina ſunt,) Ptolemaeus deſignauerit. Idem eſt de Fennis et Liuonibus. Tamen in Fenniae et Liuoniae populos veteres, et antequam cum aliis in nouam gentem coirent, e Venedorum corpore fuiſſe, locorum, quae ſuperſunt in iis, nomina videntur poſſe docere. Sic ad fluuium *Trender* ciuitas *Vendum*, Wenden; fluuius item, et ad eundem ſitum oppidum *Windauia*, et *Vſchevendum* in Liuonia, (niſi tamen recentiores natales habeant,) memorantur. Sic tametſi neque Pruzzos (nam Pruſſorum nomen poſterius eſt, ac multo magis *Boruſſorum*) ne quidem nominarit Ptolemaeus; certum tamen habemus, in Pruſſia, ſeu Prucia Venedos fuiſſe, a quibus neceſſe eſt, ſinum illum Venedicum nuncupatum eſſe. Bulanes vero, Piengitas item, et Bieſſos penes Carpatum montem, et orientaliores his Galindas, Sudenos, et Stauanos vsque ad Alaunos ſic Ptolemaeus nominauit, vt dubitari poſſit, rectene Venedico corpori accenſendi videantur? At in hoc ego obſtinatus ſum, vt cenſeam, ampliſſimam Venedorum gentem etiam ſub aliis nominibus latitaſſe. Exempla iſtius generis frequenter occurrunt. Herodotus Sarmatas a Budinis et Neuris diſtinguit, tametſi in Sarmatia locatis; Getoni, vti et dicti Budini, cum Neuris olim Scythico nomine, et corpore continebantur, tametſi origine Scythae non eſſent. Erat igitur nomen Venedorum generale: alia eiusdem gentis nomina ſingularia. At illa, num ipſa iſtiusmodi fuerint, quae paullo ante ex Ptolemaeo attulimus, quis certo affirmet?

firmet. Hoc equidem largiendum nobis est, populos hos, quos vicinos Venedis Ptolemaeus posuit, neque alteri facile genti attribuendos; Venedis potius, quam alteri alicui corpori accensendos esse. Poterant igitur Bulanes, sic *fortasse* a Graecis potissimum corrupte appellati, esse Poloni; alioqui et *Bolani*, et Boleni vocari soliti. Idem fere est de Ombronibus, Anatrophractis, Arsyetis, et Sobocis, quos Phinnis subiungit Ptolemaeus; nisi quod ne quidem ex nominum similitudine, quae omnino abest, coniecturam aliquam facere liceat. Piengitas tamen, et Biessos praesertim, ne prorsus a Venedis excludam, me mouet, quod ad Carpatum sitos fuisse Ptolemaeus dicat; nisi quis iudicet, a Iornandis Vinidariis, mixto ex diuersis populo, non fuisse diuersos. Sed nec Galindas, Sudinosque ac Stauanos a Venedis antiquis exemerim; tametsi priores hodie lingua a Polonica ac Russica diuersa vtantur. Non enim dubium est, ex populorum commixtionibus, diuersas linguas etiam fuisse natas. Galindarum ac Sudinorum Annales veteres Prussiae meminere; quo si mappae geographicae Henneberger accommodentur, videbimus Galindas sedisse, vbi nunc Praefecturae, *Neydenburgum*, et *Ortelsburgum*; Sudinos vero, vbi Iohannisburgum, Reina, Lycka, Marggrabowa, seu Olezko visuntur. Ac nescio: an non Stauani, σάβανοι Ptolemaei, sint, quos hodie Schlauones ac Slauanos (die Schalauer) appellant, siti pone Praefecturam Olezkensem, vbi nunc Praefecturae Tilsit et Ragnit. [28] At si hoc euinceretur, etiam *Slauinorum*, quod prorsus cum *Schlauanis* congruit, nomen vetustius esse oportuerit, quam vulgo censeatur. Malim in medio relinquere, mittoque coniecturas alias.

Dicebam,

28) V. Hartknochii Prussia vetus P. I. c. I. p. 24. seq.

Dicebam, Venedos probabiliter ad Boryſthenem vsque porrectos fuiſſe. Nam inter Boryſthenem et Hypanim Olbidae, Graecorum colonia, ſedebant, vbi nunc Dzike Pole, campi deſerti, et Oczacouienſis agri aliqua pars eſt. Inde duae vrbes *Olbiopolis*, vt eam Plinius vocat, Olbiam dixere Strabo, Ptolemaeus, et Arrianus in Periplo, et *Miletopolis*, κτίσμα Μιλησίων, Mileſiorum opus. Nihil tamen obſtat dicere, etiam iſta in regione olim ſediſſe Venedos, cum fieri potuerit, vt ſeu precario, ſeu ſpe inducti, ſeu etiam vi adacti Graecis locum facerent. At poſt, Scythae; de quibus deinceps plura dicenda. Inter Hypanin et Tyram Callipidae, et ſuper eos, ſeptentrionem verſus, Alazones, quos, quia Herodotus a Scythis diſtinguit, coniectura eſt, ad Venedorum gentem pertinere. Id multo magis dicendum de Androphagis, et Melanchlaenis, quos vltra fontes Boryſthenis et Tanaidos laudatus Herodotus ponit, et a Scythis ſeiungit. Suſpicor, ex iis eſſe, quos Procopius Antas vocat, multitudine innumerabiles, vlteriora ad ſeptentrionem habentes. Has ipſas ſedes adhuc ſeculo ſexto Slauos tenuiſſe, argumento ſunt tres illi Slaui, legationis nomine miſſi ad Chaganum, atque a Romanis capti, qui cum interrogarentur, qua gente oriundi, qua regione, quibus de cauſis Romana loca obirent, reſpondebant, ſe ad Oceanum Occidentalem, hoc eſt, vt ego arbitror, ad eam partem Baltici maris, qua Orienti oppoſitum eſt, habere ſedes, quindecim menſium itinere iſtuc in Thraciam ac vltra profectos, citharas curare ac circumferre, ſeu, vt in Graeco apud Theophylactum l. 6. c. 2. eſt, lyris canere, (αὐταῖς λύραις καταψάλλεσθαι) cum tubis circumſtrepere non didicerint: bellum ignorantibus optabiliorem autumabant eſſe exercitationem muſicam; ex quo rectius

quoque

quoque intelligendus erit locus, de iisdem Slauis tribus, ille Theophanis ad annum IX. Mauritii. Fortasse et in censum hic Bulgari venire possunt, quos septentrionem versus vltra Pontum (prope Wolgam nempe) locatos, Iornandes dixit. Accedit Theophanes, qui ex Nicephoro Patriarcha CP. commemorat, Bulgaros primo regiones illas Maeotidi paludi conterminas, iuxta Cophinum fluuium, seu, vt videtur, *Copam*, Tanai proximum, incoluisse. Idem refert, adiacentem regionem, quae ad Ortum est, *magnam Bulgariam* vocitatam, ideo, quia se circa Volgam porrigat. Confirmat opinionem non modo, quod posteriores scriptores eodem, vt videtur, loco, seu Antas, seu Bulgaros collocauerint, quo loco fere Herodotus sitos Melanchlaenos et Androphagos fuisse docet, 29) sed etiam, quod mores iis Slauorum haud multum dissimiles attribuit. Ἀνδροφάγοι δὲ ἀγριώτατα, inquit in Melpomene c. 106; sed latine referam: *Androphagi agrestissimos omnium hominum mores habent; non iudiciis, non legibus vtentes; sunt Nomades, seu pecuariam exercentes, vestem Scythicae similem gestantes, propriam linguam habentes.* Et c. 107. *Melanchlaeni*, inquit, *omnes indumenta nigra gerunt, vnde et cognomen habent, qui soli ex his humana carne vescuntur, institutis*, h. e. moribus, *Scythicis vtentes.* Si caetera certa essent; salua omnino res esset. Nam morum similitudo nondum eandem gentem arguit; tametsi ex dissimilitudine morum, prorsus oppositorum, bene diuersam gentem deducimus. 30)

Termi-

29) Herodotus sic de Melanchlaenis l. 4. c. 10. *A mari mediterraneo versus vsque Melanchlaenos, qui supra Scythas habitant viginti dierum iter.*

30) Liceat hoc exemplo firmare. Sic recte *Ser. Princeps Iablonouius* contra R. P. Dobnerum ostendit, Bohemos, de quibus Cosmas loquitur initio Chronici sui, non fuisse

Terminant vero et Androphagi Scythiam, vtpote ante Melanchlaenos ab Herodoto collocati, ſicut Androphagos antecedunt Neuri, Neuros Agathyrſi. Hos omnes Herodotus partim ad ſeptentrionem, partim ad occidentem Scythis opponit; quemadmodum et Budinos, et Sarmatas, et Gelonos, quos poſtremos dicit quondam Graecos fuiſſe. Notentur Sarmatae, particularis populus, ſitus in ea regione, quam Ptolemaeus poſtea Sarmatiam vocauit; vt vel hinc videas, Sarmatarum nomen populis omnibus, quos ſcriptores poſteriores Sarmatiae adſcripſerint, olim minime conueniſſe. Quamuis autem horum populorum gentilitatem nemo veterum declarauerit, niſi quod diuerſos ab Scythis dixerunt, neque Germanis adnumerari poſſint: coniectura tamen inde non vana capitur, eos Venedis potius, quam alii genti, adnumerandos eſſe; tametſi moribus aliquo modo inter ſe diſpares fuiſſe videantur. Nam Agathyrſos excultiſſimos viros nominat Herodotus, et aurum plerumque geſtantes; in quo diſceſſiſſe a Venedorum moribus videri poſſent: tamen caetera in Venedos commode quadrant. Ait enim Herodotus, eos in commune cum mulieribus coire, et tanquam inter ſe germanos et domeſticos, nihil neque liuoris neque odii mutuo exercentes, in caeteris ad Thracum conſuetudinem accedere. Id quod nihil obſtat, cum certum ſit, gentem a gente, quicum commercium ac conſuetudo multa eſt, nonnihil morum trahere ſolere; nec Scythis illico adnumerauero, quod Scythicis prorſus vſos moribus fuiſſe, apud Herodotum lego, et periculo ab ingenti

fuiſſe Germanos; quia alios, immo oppoſitos mores Germanis Tacitus, alios Bohemis Coſmas tribuat. Nec refert, ſiue Coſmas deſcriptionem eam a Boëthio, ſiue ab Eginhardo, aut Adamo Bremenſi mutuatus fuerit, eaque Bohemis applicauerit.

ingenti serpentum vi exterritos, sese Budinis iunxisse. Budinos deinde idem Herodotus ingentem nationem et numerosam fuisse docet, sed caesiis oculis omnes, et rufos, eosque pro Gelonis, sed falso, haberi, quippe qui a Gelonis et lingua et victu sint dispares: Gelonos autem, quondam Graecos, Herodoti aetate lingua partim Scythica partim Graeca vsos. Hos etsi constat ex Herodoto inter Scythas olim habitasse: malim tamen Venedis, quam Scythis restituere; tametsi linguam natiuam, et mores multum interea mutauerint. Suspicor enim, initio non Scythas, sed alium populum olim fuisse, atque inter Scythas habitasse. Sed et Sarmatis, seu, vt Graeci efferebant, Sauromatis, suam linguam fuisse a Scythica distinctam, idem docet Herodotus, quum scribit, Scythice loqui volentes, Soloecizasse. [31]

Existimo autem, hos populos Sarmaticos eosdem esse fere, quos postea Strabo [32] Roxolanos tanquam ad Rus, seu Ros, quo nomine etiam fluuium Rha, seu Wolgam dictum comperio, appellauit. Non enim mihi persuadeo, populos, quos Herodotus Scythis opponit, ita deinceps euanuisse, vt, quia scriptores posteriores alia atque alia populorum in iis regionibus nomina producunt, certo confici possit, nouos populos, prioribus depulsis aut alio profectis, successisse. Facile mihi in hoc assentietur, qui Graecorum morem, ac libidinem in effingendis aliis populorum nominibus perspectam habet. De Roxolanis tamen (idem fere est de Antis et Bulgaris) quos Plinius, Ptolemaeus, vti et Iornandes Antas et Bulgaros, circa Maeotidem statuunt, in ea scilicet regione,

quam

31) Herod. Melpom. l. 4. c. 117. φωνῇ δὲ, inquit, οἱ Σαρμάται νομίζουσι Σκυθικῇ, σολοικίζοντες αὐτῇ ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου, ἐπεὶ οὐ χρηστῶς ἐξέμαθον αὐτὴν αἱ Ἀμαζόνες.

32) Strabo l. 14. c. 114.

quam teſte Herodoto Scythae incoluerant, aliter fortaſſe differendum fuerit. Id vt felicius praeſtem, veteris Scythiae ſitum, qualem Herodotus deſcripſit, breuiter iuuerit repraeſentare.

Primum igitur conſtat, Scythas ſub Darii expeditionem inter Boryſthenem ac Tanaim coluiſſe, ſic, vt Tanais ipſe iis a meridie opponeretur; ad vlteriorem Tanais ripam Scythas exules a reliquo corpore, ac rebelles, ſed longius a ripa, immo vltra Wolgam reiectos ſediſſe. A Boryſthene ad Iſtrum vsque rurſum Scythas. Ab Iſtro ad Boryſthenem 10 dierum itinere, ſeu ſpatio 60 milliarium: a Boryſthene ad Maeotin totidem: a Ponto ad Melanchlaenos altero tanto: ab Oriente, ſiue Tanai in Occidentem pariter 20 dierum, hoc eſt 120 milliarium ſpatio, habitaſſe. Habitabant igitur intra 45 et 57 fere gradum longitudinis, at 45 et 55 gradum latitudinis, incluſi hinc Tanai, Maeotide, Ponto, et Iſtro: illinc Melanchlaenis, vbi nunc eſt ager Moſquenſis, et viciniis ad Orientem tractus, ſupra Gerrhum, Scytharum regiorum regionem, vbi Scytharum regum ſepulcra erant: Androphagis item, ſitis in agri Smolenſcenſis, Vitepcenſisque tractibus, vtrisque circa fontes Boryſthenis et Tanais: hinc *Olbitis* ad confluentes Boryſthenis et Hypanis, vbi nunc *Dzike Pole*, campi deſerti et Ozacouienſis agri aliqua pars eſt; a fontibus enim Bogi ad Kiouiam vsque in Palatinatu Brailauienſi inter Boryſthenem et Hypanim Scythae aratores coluere. Illinc Alazonibus, quos Herodotus diſerte a Scythis diſcernit, in Palatinatus Podoliae meridionali parte ad Caminiecum, et in Brailauienſi tractu, penes Callipidas, qui erant in Orientali Brailauienſium tractu, et in Ozacouienſi agro ad Occidentem Olbiae vrbis. Tum, Neuris, quos Scythas ipſe Herodotus

dotus negat, ad Desnam fluuium, qui supra Kiouiam in Borysthenem influit, seu ad Orientem Borysthenis sedes habuerunt, supra Scythas agricolas, antequam nempe ob serpentum copiam ad Budinos, nec lingua, nec origine Scythas, a Scythis tamen, inter quos habitabant, expulsos, migrarent. Postea enim (Neuri) a fontibus Tirae supra Scythas aratores vsque ad Borysthenem egerunt, in parte Palatinatus Russiae rubrae ad Leopolim, Belzensis, et Volhyniensis orientali, vicini Budinis ac Gelonis, olim Graecis, post lingua ex Graeca et Scythica permista vtentibus, ad occidentem Borysthenis colentibus. Tum Sarmatis, seu Sauromatis proprie dictis, hoc est, qui iam ante Herodotum id nomen obtinuerunt; postea enim, ac circa Ptolemaei aetatem praesertim, nomen Sarmatiae et Sarmatarum latius patebat.

Atque hos populos: Neuros, Budinos ac Sarmatas intelligo, quod neque Scythae fuerint origine, ac fere etiam lingua a Scythis diuersi, [33] commode, quia nihil contra occurrat, faciatque eius rei cum situs ipse, tum Venedicae gentis amplitudo, post ab Iornande et Procopio luculenter prodita, indicium; Venedis, aliis olim atque aliis sub nominibus latentibus, adnumerauero, vniuersimque hos populos vna cum Venedis lingua vix discretis inter Vistulam, sinum maris Balthici, Carpathum, Fenniam (nisi olim et istic Slauici corporis homines sederint; id quod ita esse valde suspicor) itemque inter Borysthenem non temere inclusero. Suspicatur quidem Cl. Bayerus

33) Apponam voces aliquas ex Herodoto Scythis olim proprias, vt, Scythicane a Slauica diuersa fuerit, iudicium formari possit. *Aeor* enim Scythis *Vir*, *pata* occidere, *arima* vnum, *spu* oculus, *Tapiti*, quae Latinis *Vesta*, significabat. Praetereo mores Scytharum a Slauis diuersos, qui conferri ex Cl. Bayeri Memoriis Scythicis possunt.

rus,[34] quem in terminis Scytharum defignandis poft Herodotum potius, quam Rudbequium, fequi maluimus; Budinos et Neuros, cum femigraecis Gelonibus eo tandem migraffe, vbi Fenni, Aeftiique fedent; immo eosdem effe, qui apud Snorronem *Vani* et *Voeni* vocantur, olimque Othinum fequutos, effe. Ego etfi dubitare non velim, Scytharum populos aliquos olim Aeftiis, et quos Fennos dixere, acceffiffe; vtrum tamen fundamenta id fufpicandi folida D. Bayerus habeat, alii viderint. Fortaffe eodem iure dicendum fuerit, eosdem populos ad Venedos *fic acceffiffe, vt, cum linguam* ipforum fibi fenfim afcifcerent, in idem cum illis corpus coaluerint. Certe enim cultura frumenti, et ceparum, allii, lentium et milii, quibus pafcebantur, et quae Scythis cum Callipidis et Alazonibus erat communis, etiam hodie a Slauicis quibusdam populis frequentatur. Melanchlaenos tamen et Androphagos, Alazones item et Sarmatas, qui praeter Budinos inter Tanaim, Wolgam, et Caucafum, vt ex eodem laudato Herodoto, immo et Strabone liquet, olim coluerant, a Slauinicae linguae corpore diuellendos non exiftimem.

Venio ad eum tractum, qui inter Tiram et Tiarantum fluuios eft; iuxta cuius oftia, vbi nunc Bielogrodum et Budziacenfis tribus, Tiritas: in mediterraneis vero, hoc eft, vbi nunc Valachia, Moldauia, et Tranfuluania eft, Scythas aratores, et ad horum occidentem Agathyrfas Herodotus collocauit. Sctyhas eos fuiffe inde liquet, quod fluuios nominatos Scythiae annumerauit Herodotus. At enim, fi Scythae in his fuere terris, quomodo Ptolemaeus *Roxolanos*, Bulgaros itidem ad Maeotidem:

34) Bayer. Differt. de conuerfionibus rerum Scythicarum p. 348. feq.

tidem: Antas vero ad Pontum a Tyra vsque ad Istrum Iornandes posuit? Haec examinanda sunt: vtrum his populis veteres istic sedes recte vel concedi, vel negari possint. Quanquam Roxolanos post Strabonis aetatem primo ad Maeotidem accessisse, cum scilicet Scythae in arctum cogerentur, inde eruitur, quod Roxolanos Strabo eodem fere loco, quo Herodotus Melanchlaenos et Androphagos, sub aliis nempe nominibus,[35] forte, quod ad Wolgam vsque, olim Rhas, Ros, et Rus, verosimiliter a Slauis dictum [36] porrigerentur, adhuc statuerat. Idem prorsus est de Bulgaris Iornandis; vt adeo hinc dubio proposito satisfiat. De Antis demtis iis, qui maxima multitudine ad septentriones teste Procopio habitabant, genere nec a Melanchlaenis, nec a Roxolanis diuersi, fere haereo, sederintne iam olim ad Pontum sub Scytharum nomine, aut Tyram inter et Istrum Scythis immisti: an serius quoque accesserint? Neque tamen dubito, quin inter Scythas aratores (idem est de Scythis agricolis, et Nomadibus, seu pecuariam exercentibus) Slauici generis homines consederint. Timonax [37] 50 diuersas Scytharum gentes fuisse scribit; quam pronum est cogitare, inter tot diuersas gentes etiam Slauici corporis gentem computatam fuisse; postquam certum est, Graecos saepe eam gentem, quam certo nominare ignorarunt, Scythicam appellasse. Strabo (l. 7. p. 215.) ait: Scythas quidem pecudibus studuisse, lacteque victitasse, agros vero elocasse colendos aliis (non Scythis) a quibus tributum exigebant: non

35) Sic enim Strabo l. 7. p. 212. Ῥωξολανοὶ — ἀρκτικώτατοι μεταξὺ τοῦ Ταναΐδος καὶ τοῦ Βορυσθένους νεμόμενοι πεδία, ὑπὲρ δὲ Ῥωξολανῶν εἴ τινες οἰκοῦσιν, οὐκ ἴσμεν. *Roxolani maxime ad Boream reiecti intra Tanaim et Borysthenem incolunt: an super Roxolanis alii colant, ignoramus.*

36) V. Bayer. T. 8. Comment. Petrop. de Orig. Russ. p. 415.

37) Timon. l. 1. de Scythis ap. schol. Apollonii Rhodii l. 4 v. 321.

non ſoluentibus inferebant bellum. Nonne autem ſuſpicari licet, hos ipſos tributarios, Slauos etiam potius, quam Graecos fuiſſe? Offendi hoc quidam poſſunt, qui de Slauis nonniſi glorioſa dici cupiunt. At cogitandum eſt, Slauos late diſperſos fuiſſe, atque adeo non omnes eadem conditione vixiſſe. Qui ante Strabonem vixit, Scymnus Chius, in periegeſi ſua, *Tomitas* ab Scythis diſtinguit, cum ita canit: ὑπὸ Σκυθῶν ἐν κύκλῳ οἰκȣμένȣς, hoc eſt, *Tomitas a Scythis* in *circulo*, hoc eſt, circa Ponti partem *habitare*. Et de Dionyſopoli ſic idem:

> Ἐν μεθορίοις δὲ τῆς Κροβύζων καὶ Σκυθῶν
> Χώρας, μιγάδας Ἕλληνας οἰκητὰς ἔχει,

In confinibus autem Crobyzorum et Scytharum Terrae (Dionyſopolis) *Graecos habet barbaris permiſtos incolas.*

Dionyſopolis, ante Κρȣ̃νοι (*Cruni*) dicta, Moeſiae adſcripta ciuitas erat: *Crobyzi* Plinio ſunt vltra Axiacen fluuium. Thracibus eos Athenaeus l. 12. c. 17. et Herodotus Melpom. ſeu l. 4. adſcribunt: Myſiae inferiori Strabo et Ptolemaeus: circa Iſtrum meridiem verſus locat Stephanus; nec ſcio, an iidem fuerint, quos poſtea Porphyrogenneta libr. de adm. Imp. c. 9. *Cribetaenos* vocat, Ruſſorum tributarios, et ipſos de Slauinorum genere. Res definiri nequit: tamen relinquitur, inde Scythas Mithridatis aeuo vltra Iſtrum coluiſſe. Fortaſſe ex his ipſis Scythis, hoc eſt, iis, qui a Tyra ad Miarantum et Iſtrum, per hodiernam Moldauiam, Valachiam, et Tranſyluaniae partem orientalem, porrigebantur. *Getae* dicti fuerunt, antequam nempe Gothi Daciam, eiectis ab Traiano Dacis, occuparent. Nolim enim Hugoni Grotio ſubſcribere, exiſtimanti, Gothos 300 ante Chriſtum natum annis etiam in ipſam Daciam penetraſſe. Qui enim credibile

hoc

hoc est, cum Gothorum nomen apud Strabonem, qui circa Christi tempora vixit, nusquam adhuc occurrat? Idem est de Dacis; nam Dacos Getarum sobolem Pompeius Trogus apud Iustinum l. 32. c. 3. vtrosque, Getas nempe et Dacos, eadem lingua vsos, Strabo l. 7. p. 211. enuntiauit. Getas et Dacos ortos ex Scythis et populis Sarmaticis mixtim colentibus; partem autem posteriorum, Venedis affinium, et communione eiusdem linguae coniunctorum fuisse ipsos illos, quos Iornandes *Antas* aperte compellauit, colentes ad Pontum inter Tyram et Istrum. Ex quibus et illud deducitur, Slauici corporis homines Scythis immissos non modo in ea regione, quam Daciam aliquando dixerunt, sed etiam vltra Istrum in Mysia et Thracia. Nam Getas etiam vltra Istrum habitasse Strabo l. 7. p. 211. docet, sic inquiens: „Apud „Graecos notiores sunt Getae, ob crebras in vtramque „Istri ripam migrationes, et quod Thracibus sunt My„sisque permisti; quod ipsum Triballis etiam, Thraciae „genti, vsu venit; ostensum enim est, migrationes populis „contingere, vbi finitimi in imbecilliores impetum fa„ciant, sicut, qui trans Istrum Scythae, Bastarnae, et „Sauromatae saepe praeualuerunt, pulsisque aliis in eorum „loca immigrarunt, quidamque eorum vel in insulis, vel „in Thracia substiterunt: at qui ab altera sunt parte, ab „Illyriis maxime opprimebantur." Non dico, Getas seu Dacos simpliciter dici Slauos potuisse; alioqui enim et Slauos eosdem cum Thracibus dicere licuerit; quippe quibus perinde erant, teste Strabone, permisti Getae, seu Daci. Hoc tamen tuto me affirmare posse arbitror, Slauos sub Getis latuisse, tametsi Slauorum nomen minime praeualuerit. Etenim vt Plinius Scythas inter Tyram et Tiarantum ab aliis Getas, a Romanis Dacos fuisse di-

ctos: ita eosdem ab aliis Sarmatas, ex iisque Hamaxobios aut Aorſos, item Scythas degeneres, et a ſeruis ortos, aut Troglodytas: mox etiam Alanos et Rhoxolanos nominatos fuiſſe, idem Plinius l. 4. c. 12. n. 25. tradit. Nec nos moratur Strabo, cum l. 7. p. 210. de ſua aetate ſcribit, Getas, quorum ad 50 millia (πέντε μυριάδες) ex trans Iſtrum ſitis partibus in Thraciam traduxerit Aelius Catus, eodem cum Thracibus ſermone fuiſſe vſos; id enim intelligendum vel de parte Thracum, vel de iis, qui ex Getis cognominati Thraces, et Thracibus Myſisque permiſti erant. Nam, vt Thracas ſimpliciter Slauonici corporis homines nemo dixit; ita nec credibile eſt, Thracas ſimpliciter Slauonico ſermone vſos fuiſſe: verum linguam eorum ita permiſtam, vt, ad quam eos gentem referas, ſtatuere non poſſis. De Getis, ſeu Dacis, in Dacia veteri conſidentibus, habemus manifeſta exempla in vrbium nominibus. *Arcidaua*, *Peleudoua*, *Acidaua*, *Ruſidaua*, *Sarmategte*, *Zurobara* magnam affinitatem ſane cum Slauonico habent. Pauciora fortaſſe in Thracia. Nam *Bria*, quae vox, teſte Strabone l. 7. p. 221. Thracica ſit, et *vrbem*, ſeu πόλιν, ſignificet, vtrum ab Illyrico *Biregh*, voce editiorem locum ſignificante, ſit, vt vult Sebaſtianus Dolci p. 15. nondum certum eſt. Ac ſi etiam Thraces *Meſembriam* et *Selymbriam* ſua lingua *Meſembriegh* et *Selymbriegh* dixerint: nondum conficitur, Thracas vocem eam ab Illyriis ſumſiſſe, cum ipſi Slaui, poſteaquam in Illyricum veniſſent, eam vocem a veteribus incolis adſciſcere potuerint: fere quemadmodum vocem *Vſpeto*, qua voce Slaui Illyres rem ſuperbam et magnam denotant, a Graecis Illyribus adſciuerunt. *Aſpetum* ἄσπετον autem dicebant Graeci *inimitabilem*, quemadmodum ex Plutarcho in Pyrrho patet; vbi ſic legitur: *Exhinc*

hinc Achilli honores in Epiro diuini sunt habiti, quem ipsi sua lingua Aspetum, hoc est, *ingentem cognominant. Aspetos* autem vox Graeca est, ἄσπετος, *immensus, quem assequi nequeas.* Rectius Thracibus, sed ex Getis Slauisque permistis, vocem *Bilazora* tribueris, quam quidem vix a Slauonico possis eximere. Locus erat in Paeonia vetere, antequam Macedoniae adiungeretur. Neque huius vocis origo ad seculum Christi quintum aut sextum, vt pleraque castrorum nomina Illyrici apud Procopium Caesariensem libro de aedificiis, referri potest, quippe iam seculo II. ante Christum natum notae. Sic enim Liuius l. 44. c. 26. de Perseo: *Eo mittit* (Perseus) qui anno ante Christum natum 178. Philippo in regno Macedoniae successerat, *Antigonum ex purpuratis vnum, qui iuberet, multitudinem Gallorum ad Bilazora* (Paeoniae is locus est, et quem *candidam auroram* interpreteris) *castra mouere.* Paeoniam autem accessisse Macedoniae, Iustinus testatur his verbis: *In regione*, inquit, *Paeoniae, quae nunc portio est Macedoniae* etc. Facile autem fieri poterat, vt seu Scythae Slauicis populis, seu Thraces vtrisque permisti, vicinis aliquando regionibus direptis, locum illum aedificarent, imposito de eorum, qui tum inter ipsos praeualebant, lingua, nomine; nisi forte malis dicere, Slauici corporis homines istuc penetrasse, et aliquanto etiam tempore olim sedisse, de quo tamen postea. Quid si locus, *Bilazora* dictus, nomen hoc obtinuisset, eo modo, quo e. c. oppida quaedam in Polonia, aut Bohemia Germanicum nomen obtinuerunt? Germanos nempe ortu et in Polonia et in Bohemia non paucos numeraueris Viros nobilitate conspicuos, qui, cum olim in ius et obsequium Ducum ac Principum Bohemiae Poloniaeque venissent; praediis insuper et ditionibus fuissent aucti; iisdem suis praediis, aut aliis

a fundamento erectis, de lingua sua nomen imposuerunt. Sed et voces quaedam aliae Slauicis vix eximendae. *Tauresii*, quod oppidum erat Dardaniae, teste Procopio Caesariensi, vicinum Bederianae castello, ad confinia Illyrici et Thraciae situm, ac Iustiniani Imp. patria, deprehenduntur. Testatur enim Theophilus Iustiniani biographus, et Synchronus, ex quo Alemannus notas subinde in historiam arcanam Procopii scripsit, Iustinianum Imp. a popularibus suis *Vprauda*, quod *vera iustitia* interpreteris, et vtique Slauica vox est, nuncupatum: sorori autem Iustiniani, vti et matri eius, sorori Iustiniani auunculi, nomen fuisse *Bigleniza*. 38) Quas voces quis est, quaeso, qui non Slauonicas agnosat? *Prauda* enim etiam hodie Slauis est veritas, vel etiam *ius*: apud ipsos Russos hodie *vprau*, *recte* vel *vere* audit. 39) Sic et Bigliniza sono ipso Slauonicam originem prodit. Adde, quod Iustinianus, teste laudato Procopio, se in priuatis colloquiis *sermone*, *habitu*, *ingenio* ad *barbarorum* consuetudinem comparauit. Adiungi his possunt castra Illyrici, barbarum sonantia, et non nisi Slauis adscribenda; qualia sunt: *Bidzo*, *Bregedaba*, *Sebastas*, vel *Suabastas*, *Sarmates*, *Pretzuries*, et plura alia, quae apud Procopium libris de bello Gothico, aedificiis, et in arcana historia sponte se offerunt. 40)

Scio esse, qui ex his vocibus, plane etiam Slauos, ante tempora Iustiniani, sub quo primum alioqui legimus, Slauos et Antas, transmisso Istro, in Thraciam, Macedoniam, et Illyricum irrupisse, pridem in his regionibus habitasse, atque has ipsas regiones inter antiquas Slauorum sedes esse numerandas censeant. De Thracibus, Moesis ac

38) V. Alemannus in c. 12. hist. arc. edit. Paris. p. 137. seqq.

39) Idem ad cap. hist. arc. p. 144.

40) Plura vide apud *Cels. Iablonouium* in Lecho.

ac Getis, quibus Slauos immixtos fuisse prorsus probabile sit, iam superius adnotaui. De caeteris nunc dispiciendum. Obseruo autem *Tauresium*, seu Taurisium ad fines Illyrici, et Thraciae [41] a Procopio collocari, Dardaniam autem ipsam, in qua Tauresium fuerit, ab Strabone, Illyrico; a Plinio vero l. 3. c. 26. Maesiae adscribi. Suspicio erat, Tauresii originem vel ad Teuriscos, veteris Daciae populum, de quo Ptolemaeus, vltra Istrum ad limites Thraciae et Illyrici profectum, vel ad Tauriscos, Istri accolas, quibus Strabo l. 7. p. 102 Teuristas adiungit, referendam. Sed id falso fortasse: quod Strabo vtramque gentem Gallis, quamuis nihilominus ipsos hos Thracibus et Illyriis permistos, accenseat. Nisi forte dicas, et Tauriscos ad Teuriscos seu Teuristas ex Getis etiam coaluisse, praeualente Gallicae gentis nomine. Vtut sit: Tauresii incolas affinitatem aliquam cum Slauis habuisse necesse est, quod Iustinianus voce nec Latina, nec Celtogallica, nec Graeca, sed Slauicae perquam affine *Vprauda* dicebatur; nisi forte dicas, vocem Vprauda propter initialem literam V adiectam Tauresii incolas ceu peregrinam sibi asciuisse, atque adeo vocem eam in lingua ex pluribus coagulata perstitisse integram. Non est hoc nouum atque inusitatum. Nam et Graeci sibi voces a Latinis, Gothi a Slauis adsciscebant, aut certe eorum consuetudine suas efferebant, quin Graecos et Latinos, item Gothos et Slauos eandem gentem quis audeat dicere. Exempla habemus in Dulcissimo Δουλκισσίμῳ, Vigilantiae sororis Iustiniani marito: Ἰλλέστριος, quam vocem in titulo Procopii Suidas legit. Ῥαιφερενδάριος dixit quoque Pro-

 copius

41) Hinc est, cur aliqui Iustinum Imperatorem Iustiniani auunculum modo Thracem, modo Illyrium dixerint. V. Alemannus in notis ad hist. arc. c. 6. p. 98.

copius in hist. arc. c. 14. Sic Gothis vox *Straua*, conuiuium, vt est apud Iornandem, significabat; tametsi vox ea Slauis fuerit propria. Sic Gothorum Regum nomina, eadem syllaba, qua Slauorum, terminata comperimus. Valamir, Theodemir, Wildemir etc. Reges Gothis erant: vt Tempimir, Iaromir, Slauis Duces. Adde nomen *Amalasuntha*, quod legi quidam volunt *Amalasuenta*; item *Mathasunta*. Quanquam horum nominum originem a Teutonicis deduci, contendat Vorburgius T. I. p. 448. nempe a Teutonico, Schwand, vel Schwind, quod *matronam* significabat. Fallitur autem Sebastianus Dolci, cum ex his nominibus confici putat, Gothos Slauonici corporis homines fuisse. Et quid hic scriptor dicet, si nomina Regum itidem Gothicorum, *Ermanrich*, *Geberich*, *Helderich* etc. ipsi opposuerimus, nomina, quae sane aperte Teutonica sunt? Nimis certe ille praecipitanter, cum ex vocibus aliquot de vniuersa gente iudicium fert; porro vtrum ex Bigleniza, voce origine barbara, vt Alemannus existimat, Iustiniani seu Mater, seu Soror, latine dicta sit *vigilantia*, ac non potius de graeco sumta, adhuc dubium est. Nam reuera, vt est apud Mauritium in Strategicis, adnotante ipso Alemanno, Graecis βιγλία est *vigilia*, et βιγλίζειν *vigilare*; vt adeo ex hac saltem voce certa non possit coniectura formari. De *Istoko*, quo nomine nuncupatum *Sabatium* Iustiniani Imp. Patrem, ex Theophilo Alemannus docet, indicium in eo Slauonicae linguae latere negare nolim.

Vt autem largiamur, istiusmodi voces originem suam Slauonicae genti debere: non tamen inde tuto conficiemus, linguam Slauicam in his regionibus olim ita praeualuisse, vt gentes has omnes origine fuisse Slauos, atque in his ipsis regionibus, sed etiam veteres iam sedes habuisse

habuisse credamus. Nam, quae olim lingua, antequam populi tam diuersi, puta, Scythae, Getae, seu Daci, Graeci; item Galloceltae, Slaui etiam ac Latini inter se commiscerentur, in his regionibus dominata fuerit, nemo scriptorum veterum vel indicio prodidit. Neque ex vna voce, *Bilazora*, quae, indice *Liuio*, in veteri Paeonia certo reperitur, et linguae populoque Slauicis eripi non potest, nemo sane prudens ad omnes reliquos circumpositos populos argumentari cupiat. Habent voces suas Persae: habent Graeci, Germani; habuerint quoque Scythae voces quasdam Slauis communes; neque inde deducas, aut hos aut illos vnius corporis populos fuisse. Adhaec etsi aliqua locorum nomina seu in Moesia, seu in Thracia, Macedonia item ac Epiro, Illyrico quoque et Pannonia reperiuntur, aut Slauicis affinia, aut quae non nisi artificiosissime, id quod Sebastianus Dolci et Grubissichius solerter et ad fastidium vsque praestiterunt, detorqueri possunt; plura tamen, et fortasse vetustiora reperiuntur, quae ea cum Slauicis affinitate prorsus careant. [42]) D. Freret. dissert. de origine et rebus gestis primorum incolarum Graeciae, art. 7. existimat, Getarum ac Thracum linguam, matrem fuisse Graecae, ac Slauonicae. Id si verum esset; nam D. Pelloutier veteres Thracas Teutonicos homines fuisse ostendit; id, inquam, si verum esset: facile inde ratio dari posset, cur in vetere Thracia, Paeonia, Illyrico nomina locorum Slauicis simillima deprehendantur. Dubium igitur manet, vtrum Slauici corporis homines, saltem antiquitus, in istis regionibus, hoc est, Thracia, Paeonia, Moesia, sedes habuerint.

Nam de Illyrico, quo probabilius (ex Strabone de Dardania) reponendum est Tauresium, Iustiniani patria, minor

42) Confer cum his Strabonem, Plinium, Ptolemaeum etc.

minor eſt difficultas. Sum enim in ea opinione, vt cenſeam, caſtella aliaque loca, quae Procopius Caeſarienſis Illyrico (idem fere eſt de plerisque aliarum regionum) adnumerat, non ita eſſe antiqua, vt ex illis antiquiſſimae Slauorum, ſeu Winidorum, et Antarum ſedes defigi recte poſſint; immo ſeculo III. IVtoque vix eſſe antiquiora, rationem habeo: quia haec nomina caſtellorum aliorumque locorum, quae a Procopio ſiue in libris de bello Gothico, ſiue libro de aedificiis commemorantur, fruſtra apud Plinium, Ptolemaeum, Strabonem ac Pomponium Melam quaeruntur. Accedit, quod, a quibus loca tot, etiam in Illyrico, vel aperte Slauicis vel certe Slauicis affinibus nominibus inſigniri facile poterant, nominari, ac fere deſignari populi poſſint. [43] Sic ex Aurelio Victore aliisque nouimus, Scythas (a quibus Slauos nemo *penitus* exemerit) imperante Gallo circa annum Chriſti 253, Macedoniam, Theſſaliam, Graeciamque diripuiſſe; anno 267 Gothos, quibus immiſtos fuiſſe Slauos vel inde liquet, quod hac et non alia de cauſſa Gothos eosdem eſſe cum Slauis permulti ſcriptores exiſtimauerint. Gothi, inquam, aliique Germanici corporis populi oras Italiae et Illyrici vaſtauere. V. Zoſim. l. 1. Scythaeque, qui Iſtrum traiecerunt, ab eodem Athenaeo repulſi ſunt. V. Trebell. in 30 tyrannis. Anno 269 Gothi ad Martianopolim, Theſſalonicam, Byzantiumque profligati, vt ex eodem Trebellio diſcimus. A. 272 Aurelianus contra Zenobiam proficiſcens in itinere magnis praeliis barbaros in Illyrico, Thracia, Bithynia vicit, recuperatis, quas barbari inſederant, Byzantio, Thyana et Antiochia. V. Vopiſcus,

43) Sic Strabo tradit, ſuo tempore 50000 Getarum ab Aelio Catone ex tranſiſtriana regione in Thraciam traducta eſſe, eosque Myſos, ſeu Moeſos eſſe.

Vopiscus, et Aur. Victor. Probus a. 279 Illyricum a Getis nunc subactis interceptum recuperauit. V. Vopiscus. Altero vero post anno idem Probus 100000 Bastarnarum in solo Romano, in Thracia praesertim, ad tuendos, contra barbaros, fines, collocauit. Anno 295 ingentes captiuorum copiae ex Carpis, Bastarnis et Sarmatis in finibus ab Imperatoribus collocatae sunt. Idatius. Anno prius 282 Carus, Sarmatis domitis, eorum 20000 cepit. V. Vopisc. Aur. Victor. A. 334 Sarmatarum serui contra Dominos rebelles pulsi ad 300 et amplius millia a Constantino acceptati, per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, et Italiam diuisi sunt. V. Hieron. et Idat. in Chron. Ammian. l. 17. et 19. Anonymus apud Petauium. A. 376 Gothi ab Hunnis expulsi susceptique a Romanis in Thracia collocabantur. Ammianus. Ipsam autem Thraciam anno 422 Hunni vastarunt. Iornandes de reb. Get. c. 50 ait, populis caeteris, qui Attilam in Italiam secuti essent, varias sedes nactis, Sarmatas, Cemandros et quosdam ex Hunnis in parte Illyrici *ad Castrum Martenam* collocatos fuisse. Adde Boerebisten natione Getam, de quo Strabo l. 7. Istro audacter traiecto, Thraciam ad Macedoniam vsque depopulantem, et *Celtas Thracibus et Illyriis permixtos* euastantem.

Quam commode in his vastationibus et Illyrici occupationibus castella condi, ac barbaris nominibus insigniri poterant? Non eo haec asseuero, tanquam praefracte negare velim, olim iam et antiquissimis temporibus aliquos Slauonici corporis homines in Illyrico consedisse; hoc tantum aio, difficulter probari id ipsum posse, cum nullum neque veterum testimonium, neque argumentum

aliud ad hoc asseuerandum suppetat. Multo autem magis errare mihi quidem videntur illi, qui populos prope omnes, quos legimus in his regionibus aliquando sedem fixisse, puta, Thracas, Getas, Gothos, Vandalos, Marcomannos, Scythas, Illyrios, fuisse Slavones contendunt, aut Slauos Bohemiae, Morauiae, Misniae, Lusatiae ex Illyrico deducunt. Illos, qui primum tuentur, inter quos vel praecipui sunt Dolci, et Grubissich, satis, opinor, euertit, ipsa, qua nituntur, opinionis infirmitas, tum eruditorum de linguis Gothorum praesertim, Vandalorum et Marcomannorum iudicium; vt adeo nec operae pretium esse videatur, eam ex professo refellere. Qui alterum aiunt, etiam hodie permultos esse intelligo, quibus, quid responderi posse putem, iam nunc expediam.

Ac caussam quidem, cur viri quidam docti existimarint, Slauos ad occidentem sitos ex Illyrico populariter venisse, linguam Slauis et Illyriis communem esse sine dubio oportebat. Haec enim ratio vel prima est de gentium communione arbitrandi. *Linguam* aio, non *vocem vnam alteramue;* multo etiam minus dubias quasdam voces, quae pluribus populis communes esse poterant. Si enim hoc spectes, quantis necesse fuerit erroribus te et historiam implicare? Iam vero eandem, quae Slauis erat, Illyriis quoque communem linguam fuisse, vt credam, nullo quidem pacto induci possum. Obstant Gallo-Celtae, iam ante Strabonis tempora per Illyricum diffusi: obstant Graeci, quibus sua pars relinquenda, ab his enim Illyris Graeca nomen accepit. Quid dicam de Sarmatis, Bastarnis in Illyricum distributis, de Gothis et Hunnis, longo tempore Illyricum occupantibus? Quid

de

de Latinis et eorum coloniis, iam ab illo inde tempore, quo vel a Fuluio Flacco domiti ſunt Illyrii, vel cum Marcus Figulus Dalmatas ſubegit, in Illyricum traductis, adeo, vt in ciuitatibus latina lingua potiſſimum dominaretur? Exemplo ſit D. Hieronymus natione Dalmata, adeoque Illyrius (nam Dalmatiam partem fuiſſe Illyrici, et ex Ptolemaeo ac Plinio, et ex Sexto Rufo conſtat) quem profecto quis eruditorum hodie *Slauum* fuiſſe dicat? 44) Non tamen nego, plebeiis ac paganis Illyrici hominibus ſuam, et quae latina non fuerit, linguam fuiſſe; ſed qualem? non certe, vel Graecam, vel Slauonicam, vel Teutonicam, verum linguam ex pluribus linguis concretam, et *verum linguarum chaos*. Id ita eſſe, iam D. Freret obſeruauit. 45) Obſeruauit id quoque D. Schloetzerus, cum docuit, veterem Illyriorum linguam in montibus Albaniae hodie ſupereſſe, et in libello quodam Romae impreſſo, in quo doctrina Chriſtiana compoſita a Roberto Bellarmino in eam linguam traducta ſit, diſcrimen inter vtramque linguam affatim apparere. 46) Quodſi igitur Illyriorum lingua ex variis linguis coaluerat, adeo, vt ad certam referri ſpeciem non poſſit: ſi eadem illorum lingua fuit, quae eſt Epirotarum, et Albanenſium: quomodo credibile eſt, Slauos ad occidentem, homines lingua ab Illyriis quam diſſimillimos, ab illis ipſis profectos fuiſſe? aut vnde factum, vt idioma Slauorum occidentalium ab idiomate popula-

rium,

44) V. Whiſton in praef. ad Moſis Choronenſ. hiſt. Armen. p. 7. apud Schloetzerum Probe Ruſſiſcher Annal. II. p. 64.

45) Frerets Anweiſung die alte Geſchichte zu erlernen obſeru. IX.

46) V. Schloetzerus l. c. libellus inſcriptus eſt Italice ſic: Dottrina Chriſtiana compoſta dal Rob. Bellarmino, tradotta in lingua Albaneſe dal Reuer. Don Pietro Budi, Romae 1636. 12. Ibi lingua haec vocatur patria Scanderbegi, et idioma Epiroticum.

rium, a quibus discesserunt, toto coelo differret? Apparet igitur, opinionem illorum, qui Slauos occidentales Illyrios veteres credunt, oppido esse infirmam. Adde alterum iuxta incredibile. Quis enim credat, tantam Slauorum multitudinem, qualis deinde tam amplas in occidente terras implere potuerit, antea inter Latinos, Graecos, Gothos etiam colentem, ita autem latentem, vt ne quidem ab illis distingui potuerit, populariter nihilominus, quin suspicionem de hoc Graecis, Latinisque praeberet, excedere Illyrico potuisse? Sane scriptores, Iornandem et Procopium Caesariensem intelligo, qui vel primi seu de Winidis, seu de Slauinis et Antis commemorarunt, gentem hanc omnem, et in regionibus trans Istrum sitis habitasse, et traiecto Istro, seculo primum VI. in Moesiam, Thraciam, et Illyricum traiecisse docuerunt. Locum Iornandis iam superius dedimus. Libet nunc ex Procopio locos huc facientes subiungere. l. 3. de bello Goth. ex graeco latine c. 40. sic habet: *Sclauinorum cateruae, quantae nunquam ante prodierant, traiecto Istro flumine, Naisum venerunt.* Et infra: *Quo tempore*, inquit, *Iustinianus imperium obtinuit, Antae Sclauinorum accolae, transito Istro, in Romanorum fines cum magno exercitu irruperunt.*

L. 1. c. 27. Cum Belisarius contra Vitigem in Italia pugnaret, suppetias ab Iustiniano accepit; *plerique*, inquit Procopius, *Hunni erant, Sclauini, et Antae, qui* NB. *trans fluuium Istrum, non procul a ripa habitant.* Stupendum igitur, cum Germanus quidam scriptor Sclauinos et Antas hos Chrobatos seu Illyrios esse censuit?

L. 3.

L. 3. c. 14. *Vlteriora ripae Istri partem maximam habent;* de Slauis et Antis loquitur. Item eod. libro c. 29. *Sclauinorum*, inquit, *copiae*, *traiecto Istro flumine*, *totum Illyricum*, *Epidamnum vsque foede vastarunt.* Omitto plura ex Procopio testimonia. Suidae tamen testimonium, quod deprauatum apud aliquos scriptores, Beatum Rhenanum, Balbinum et Pessinam, et nouissime apud auctorem Apologiae aduersus Luciferum lego, adiungere placuit: Σκλάβηνον ἔθνος, inquit Suidas in Lexico, τὸ πέραθεν τοῦ Ἴστρου, *Gens Sclauina trans Istrum*, scil. habitat. Hoc vnum Suidas de Sclauinis, caetera spuria sunt, a quocunque fuerint adiecta. E quibus etiam hoc mirum videatur, necesse est, Slauos tanto numero Istrum transgressos in Illyricum penetrasse, nec a suis consanguineis, Illyricis, si quidem, vt quidam volunt, Slaui et ipsi fuerunt, neque ex cultu, neque ex ingenio, neque ex lingua agnitos fuisse. Omitto Procopii testimonium, docentis, Slauinos et Antas *ab antiquo* vsos populari imperio fuisse; id quod nescio, quomodo conciliari possit cum Illyriis, quos sub Regibus, donec Illyricum in Prouinciam Romanam redacta esset, fuisse, ex historia Romana luculenter docere possumus. Adde mores, adde religionem Illyriorum, illos diuturna cum Latinis, Graecis consuetudine mitigatos, istam prorsus Christianam, et ita iam firmam, vt Iustinianus Imp. Illyriis in Bederiana, in qua educatus erat, et quam mirifice ab se amplificatam *Iustinianam* primam deinceps dici voluit, Archiepiscopum constitueret. V. Procop. l. 4. de aedificiis.

At hoc non praecipue hic agitur; praecipuum illud: an Slauici corporis populi sedes antiquitus hic fixerint?

 Ego,

Ego, vt, quod verissimum esse censeam, aperiam, aio, de veteribus, ac primis Illyrici habitatoribus, cuius generis fuerint, non liquere. Nemo enim de hoc veterum scriptorum nobis transscripsit: omnes, vt vidimus, sedes iis primas in regionibus vltra Istrum positis, seu ad septentrionem Istro obiectum designant. Mixtum tamen genus hominum, etiam, qui origine Slaui erant, Illyrios fuisse, non nego, certo affirmare non audeo; nam voces *Vprauda, Istoki*, paucissimae indicium certum de tota gente facere non possunt. Poterant, vt initio linguae diuersarum gentium, barbararum praesertim, pauperes erant, altera gens ab altera voces mutuari, et adsciscere. Ac si etiam Slauos immistos Illyriis vltro largiar, quae primario Illyriorum lingua fuerit, designari non posse puto. Sane Cluuerius l. 1. Germaniae antiquae eo inclinauit, vt Illyricos, et Britannos, et Hispanos, Celtarum nomine comprehensos, et communi Celtica lingua vsos esse, dialectis tantummodo distincta, approbaret. Vtinam saltem hoc certum teneremus, quibus olim Slaui nominibus comprehensi fuerint! Σπόρȣς antiquitus et Slauos et Antas nominatos fuisse, Procopius Caesariensis solum docuit. Legi, qui existimarent, ideo σπόρȣς dictos, quod per diuersas regiones dispersi essent: id quod etsi nullo scriptoris veteris testimonio faciunt, non tamen faciunt improbabiliter. Commentator in Hagecianos Annales pag. 73. P. II. σπόρȣς a comitiis dictos credit, quod Spor Slauonice *comitium* sit. Crederem id et ipse, si quidem ostendi posset, Slauos et Antas ipsos se σπόρȣς nominasse, et non ita a Graecis fuisse appellatos, aut etiam ex scriptore quodam vetere doceri posset, quae illa Comitia, vbi, et quando celebrata? Graeca vox est σπόρος, non Slauica, neque ex Slauico formata,

ta, adeoque nihil cum confictis Slauorum comitiis affine habet. Probabile tamen est, Slauos seu Scythis, seu Getis et Dacis, in ea inprimis regione, quae olim Dacia vocabatur, permistos fuisse, et fortasse Slauos prius eas terras incoluisse, quam Scythae, ab Essedonibus pulsi, superato Wolga flumine, Tanai item ac Borysthene, a Tyra ad Istrum vsque coepissent colere. Idem cum proportione, et quod ad veteres sedes attinet, dicendum de Scythis, quos regios vocant scriptores, sitos inter Tanaim et Borysthenem. Antas, quos ait Iornandes a Tyra ad Istrum circa Pontum coluisse, reliquias Slauorum Scythis immistorum fuisse puto; nisi sint ex iis, qui ad Wolgam habitabant olim, dicti etiam Bulgari, quasi Wolgari. Prior opinio etiam magis sustineri posset, si quidem verum esset, Decaeneum Strabonis esse ipsum illum Othinum, quem scriptores septentrionales, praeeunte Snorrone, aiunt, Boerebista Rege seu Duce occiso, populo autem Getico dissidiis distracto, migrationem in septentrionales plagas suscepisse. V. Bayerus Diss. de Conuersionibus rerum Scythicarum, quae extat Tom. V. Comment. Petropol.

Antas itaque dictos a Graecis reor, et quidem a voce Ἀντὶ, quae *contra* significat, tanquam contra seu Slauos, seu gentes alias habitauerint. Quo postremo sensu vere σπόροι olim dici poterant, quod dispersi non solum, habitaculis sparsim positis, sed etiam per regiones diuersas habitarent. Huc adde regionem inter Vistulam, sinum Balthici maris, seu Venedicum, Carpathum, Fennos, et Borysthenem interiectam. Ac si quidem Iornandis locus supra, vbi de situ Winidarum, Slauinorum et Antarum agit,

agit, de temporibus ſeculo VI. antiquioribus interpretandus eſſe videatur, optime huc quadrabit. Sic enim cum ſcriptoribus aliquibus rectius dicturi ſumus, *Ciuitatem nouam* illam non ad Iſtrum, ſed Boryſthenem quaerendam eſſe, neque eſſe aliam, quam eam, quae poſtea nomine Slauico, *Nouogrod* cognita fuerit. Pro *Sclauino Rummunenſe* editio Muratorii habet: *Et Vnenſe;* et pro lacu Muſiano: *lacu qui dicitur Murſianus;* atque ita neque iſta nomina ad Iſtrum quaerenda fuerint, tametſi obſcura maneant. Adde et Melanchlaenos, item Androphagos vltra Boryſthenem et Tanaim, ſeu horum fluminum fontes; illos a Graecis ita vocatos, quod veſtes geſtarent nigras; iſtos, quod humana carne veſcerentur.

Antiquiores ſedes inquirere non placuit, quod neque indicium, locusque vſpiam prudenti coniecturae extat. Fatendum ſine dubio eſt, Venedos, ſeu Vinidos, Slauos item et Antas, quocunque ſub nomine olim deliteſcerent, ante alicubi, quam in terras, in quibus ſedes fixerint deinceps, immigrarent, habitaſſe; tametſi neque tanto numero, neque tam ample; nam numerus et amplitudo poſterioribus temporibus adſcribenda ſunt. Atque haec cauſſa erat, cur aliqui Slauos et Sarmatas vnam gentem dixerint, et cum Bocharto *reliquias Medorum* ex Chaldaeo שאר—מדי Sear, vel Sar, aut Schar — Madai, eſſe cenſuerint: quae obſeruatio, vt docta, nequaquam tamen probanda videtur. Sane nomen *Sarmatarum*, pro quo Graeci *Sauromatarum* dixerunt, apud Herodotum aliosque occurrit, hoc eſt, ea aetate, qua integrum ſtetit adhuc Medorum imperium. Deinde ab *oculis lacertarum* (σαῦρος enim *lacerta* eſt, et ὄμμα *oculus*) Sauromatas dixe-

dixerint. Sunt, qui Parthos quoque *Slauos* dicant, Slauisque vastum illud ac potens in historia memorabile tribuant imperium. Aiunt enim *exules* lingua Scythica *Parthos* dici, tanquam a *Partti* voce Slauonica, quam latine enuncies: *vasa collige.* V. Dolci pag. 15. At vereor, vt haec cogitatio omne punctum ferat. Scythica lingua *exules* dicebantur *Parthi*; at nonne Scythicam linguam a Sarmatica Herodotus distinguit? deinde *Partti* sunt *homines potius eiecti*; quod *exulibus* praesertim *voluntariis* non satis recte conuenit. Equidem Parthos et Slauos, si praesertim ea huc reuocem, quae Iustinus ex Trogo Pompeio l. 41. c. 1. et 2. scribit, eundem populum fuisse, nondum mihi persuadeo, tametsi vltro largiar, voces quasdam Medis, immo Parthis (nam Parthorum sermonem ex Scythico et Medico mistum fuisse, idem Iustinus testatur, et Sarmatas Medorum sobolem Plinius dixit) communes, etiam Slauis aliquo modo vsitatas, fuisse. *Spaco*, *canem* dicebant Medi, teste Herodoto: eundem Russi *Sobaca* dicunt; at, haec ad designandam gentem nondum facere iam superius obseruauimus. Illud ferendum aequius, quod id eruditis viris passim probari video, cum Slauos (immo et Turcos, Chazaros, aliosque septentrionales populos) cum Mirchondo, et Ismaele Abulpheda, Apameae Principe,[47] ad Iaphetum Noëmi filium referunt. Slauos vterque, quos nominaui, scriptor, *Secaleba*

47) Scripsit Abulpheda Geographiam secundum ordinem Climatum Arabice circa annum Hegirae 672 hoc est, an. Christi 1273; mortuus enim anno Heg. 732, seu an. Chr. 1331. Mirchondus Persice historiam an. Heg. 904, seu an. Christi 1498. V. Assemann T. I. orig. Eccl. Slau. P. II. c. 2. quod est de origine Slauorum.

caleba Slauum *Seclabi*, et auctorem gentis *Seclab* vocant: ſedem vero iis fuiſſe vltra Pontum Euxinum et mare Caſpium verſus ſeptentrionem, inter fluuium Etel ſeu Volgam, et Danaprim ſiue Boryſthenem: *Seclabos* demum partim Iſtro traiecto eam regionem, quam nunc Sclauoniam dicimus, incoluiſſe, partim in Hyperboreis illis montibus, vbi olim degebant, permanſiſſe. Poſtremum de ſedibus Slauorum et motibus, demptis iis, qui ſuperato fluuio Viſtula occidentem verſus migrarunt, non improbo: vtrum tamen olim nomen Slauorum, ſeu *Seclaborum* notum fuerit, ex ſcriptorum omnium vsque ad ſeculum VI. ſilentio vehementer dubito. Sic etiam incertum, vtrum *Chalybes*, quod nomen apud Xenophontem et Strabonem occurrit populo Cappadociae tributum, vtrum, inquam, *Chalybes*, item Slaui ab antiquis appellati fuerint? Herbelotius id affirmauit: Herbelotii quoque intererat, aſſertionem hanc ſuam aliquo idoneo fundamento confirmare. Plura ad hanc quaeſtionem non libuit addere, nec puto plura deſiderari. Hinc conſulto praetermiſi Amazonas, quas Herodotus Sarmatarum generi adſcripſit, et difficulter Scythicam linguam aſſecutas adeo, vt diu ſoloeciſſarent. Nam cum plura Amazonum genera a ſcriptoribus referantur, metuendum erat, ne, quae Amazonibus caeterorum populorum adſcribuntur a ſcriptoribus, Amazonibus Sarmaticis temere tribuerentur. Accedit, quod ſcriptori accurato de Amazonibus vuiuerſe caute ſit diſſerendum, ne alioqui fabulas pro hiſtoria venditaſſe videatur. Praetermiſi item totam Cherſonneſum Tauricam, cum, vtrum iſtic olim Venedi reſederint, conſtitui non queat. Vt partem Scythae, Gothi partem, partemque Graeci tenebant olim: non certo tamen defendi

poteſt,

potest, Venedos his populis intermistos habitasse; tametsi dici possit, Venedos, vt ex regionibus intra Tanain et Borysthenem sitis, ita quoque inde a Scythis aduenis retrusos fuisse, aut raros colere fuisse permissos. De Sarmatis, Budinis item, intra Caucasum et Tanain ad Wolgam vsque colentibus, facta est superius mentio. Hoc tantum hic addo, Serbos, vnde probabiliter (nam aliam originem neque ii ipsi, qui a me hic diffident, statuunt) orti sunt Serbli Porphyrogennetae, seu Seraci ac Sorabi, non temere, Ptolemaeo indicium faciente, ab Sarmatis illis esse excludendos. De populis intra Caucasum et Pontum colentibus ne verbo quidem meminisse libet; quandoquidem eos, puta, Zichos, Lazos, Achaeos, Cercetas caeterosque, Slauos fuisse demonstrari non posse, alii iam prolixe ostenderunt. V. annum 480 Chronologicae seriei Rerum Bohemicarum P. Pubitschka. Praetermisi quoque inquirere, quae vetustissima Venedorum lingua fuerit? Et cur inquiram, quod me definiturum non sperem? Sine dubio aliquis dicere poterit, Venedicam linguam, quae seculo VI. hoc est eo tempore, vigebat inter Slauos, ex vetere Venedica, et Scythica fuisse permistam: cum enim Scythae amplissima natio fuerint, nec vbi consederint postea, quam Scytharum regnum cum ipsa natione euanuit, suspicari aliquis possit; Scythas cum Venedis antiquis in vnam gentem coaluisse, atque ita etiam tertiam, eamque nouam linguam emersisse. At asseri hoc ex suspicione mera potest; vereor, vt probari possit. Ego malim existimare, Scythas *aliquibus* Venedis accessisse, cum iisque in vnam coaluisse gentem, ac tertiam linguam ex commixtione hac procudisse; quales sunt Fenni, Prussi, Lithuani, Curones, Liuones, et fortasse Slaui hodie

ad Lüneburgum; apud reliquos Venedos, tametsi forte et ipsi Scythas aut alios quosdam populos receperint, quia tamen natiua ipsorum lingua cum nomine Venedico praeualuerit, coaluisse quidem Scythas in vnam cum ipsis gentem, sed ita, vt et nomen et lingua Venedorum praeualuerit. Non fugit me, argumentum propositum esse vastius, quam vt id integrum a me pertractatum esse gloriari possim: sed et id mihi persuadeo fore, vt maior in excutiendis libris et scriptoribus solertia maiores potius tenebras, quam lucem, dissertationi huic afferat.

FINIS.

PRO-

PROBLEMA

EX

HISTORIA SLAVICA

VTRVM WILZI

SERBI, AVT SORABI, SLAVONICE DICTI
SRBI AB ALBI, ET REGIONIBVS GERMANIAE
PROFECTI SINT IN CROATIAM, ET
DALMATIAM, AN EX ILLYRICO VENERINT
IN GERMANIAM

PRO ANNO 1772.

ANSIRIACENSIS.

Per Reuerendum Patrem Leopoldum Iohannem Scherschnik
S. I. Pragensem.

INGRESSVS.

Non me falli putem, si quaestioni huic Laonici Chalcocondylae dubium ansam praebuisse credam. Scriptor hic, cum Sarmatas, et Illyrios eodem vti sermone obseruasset: dubitare coepit, vtrum hi populi ex Illyrico in Sarmatiam, an contra sint profecti? *Sarmatarum*, inquit, *lingua similis est Illyriorum, Ionium ad Venerotos vsque accolentium. Vtri autem horum vetustatis praerogatiua gaudeant, et vtri alterorum regionem teneant, an videlicet Illyrii, in istam Europae partem recedentes, Poloniam et Sarmatiam incoluerint, aut an Sarmatae ad haec Istri loca adeuntes Mysiam, et Triballorum, Illyriorumque regionem, qua versus Ionium patet, vsque ad Venetos inhabitarint; neque quemquam audiui veterum commemorantem, nec ipse possum ea quam verissime explicare.* At si Chalcocondylas Porphyrogennetam, Iornandem, alios item scriptores, qui forte interciderunt, ad manum habuisset: credo

credo, illum minime hac de re fuiſſe dubitaturum. Quae cum ſcriptores rerum Slauicarum legerent, ea de his populis conſcripſerunt, quae ſibi viſa ſunt quam veriſimillima, atque alii quidem eos e Sarmatia in Germaniam, indeque in Illyricum, alii a Ponto Euxino, Paludeque Maeotide in Illyricum, ex Illyrico in Germaniam et Sarmatiam deducebant, alii denique reperti ſunt, qui Slauos in Dalmatia αὐτόχθονας eſſe dicerent, aliundeque negarent aduenisse. Quapropter cum ex hac auctorum diſſenſione nihil certi poſſet ſtatui, multumque eruditorum ad plenius Slauorum cognoſcendas migrationes, ea non ignorare intereſſet: SERENISSIMVS PRINCEPS IABLONOVIVS Maecenas aeui noſtri longe maximus, pro ſuo in literas, atque in Hiſtoriam, praecipue Slauicam amore, Orbi literario praeſens problema propoſuit. Cuius ego Sereniſſimi Principis votis dum fieri ſatis vehementer cupio; ipſe meum qualem qualem, vt afferrem opellam, induxi animum; quam etſi fortaſſe minus probari contingeret, magni mihi tamen iſtud erit inſtar praemii, *Tanti Principis* Voluntati obſequi voluiſſe. His itaque praemunitus, laetus opus aggredior, aioque Serbos e regionibus Germaniae in Illyricum immigraſſe, ſcriptorum iſtud teſtimoniis iam iam firmaturus.

Ante

Ante Slauorum e Sarmatia emigrationem, Lusatiam et Misniam Hermunduros incoluisse, e Romanis scriptoribus cognoscimus. Tacitus 1) ait, Albim oriri in Hermunduris; Strabo illos trans Albim, sed minus recte collocat, 2) Velleius vero 3) Semnones et Hermunduros Albim interfluere, eoque Romanum exercitum dicit perductum; quos etiam in Cattos vsque fuisse porrectos, ex Tacito 4) colligitur; superatos deinde bello a Vandalis, atque in vlteriora septentrionem versus reiectos, e Dionis Cassii 5) verbis concludere licet, qui Albim non iam in Hermunduris, sed in Vandalicis montibus oriri scribit; Iornandis quoque testimonio confirmatur: *Quo tempore*, inquit 6) de Vandalis, *erant in eo loco manentes, vbi Gepidae sedent, iuxta flumina Mansia, Miliare, Gilsil, et Grissia, qui amnes supra dictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a septentrione Hermunduri, a meridie Hister, qui et Danubius dicitur.* Quos deinde a Gebericho Gothorum Rege caesos sedes suas reliquisse, et in Pannoniam, potestate a Constantino Imperatore facta, concessisse, eodem capite narrat. Atque Gothi quidem in locum Vandalorum, tum in horum Gepedes, vt ex Iornande constat, successerant, eoque loci ad obitum Attilae permanserant; quo mortuo, iugum excussere Hunnicum, atque Daciam occupauerunt. Hermundurorum quoque nomen non amplius eo tempore (seculo V.) audiebatur; quos credo cum Marcomannis, et

1) De Moribus Germ. cap. 41.
2) In Geograph. lib. VII.
3) In Hist. Rom. lib. II.
4) Lib. XIII. 57.
5) Lib. 55.
6) In Hist. Getica cap. 22.

et aliis Sueuicis populis, qui ſeu ab Theodorico inuitati, ſeu Slauis ſibi infeſtis, aut quacunque demum de cauſſa ſedes mutare ſint coacti, propius Italiam mouiſſe. His demum Slaui ſucceſſerunt; ſed Soraborum nomen, vti et reliquorum Germaniam inhabitantium Slauicarum gentium ſerius prolatum eſt. Soraborum primus meminit Eckardus; Helmoldus Heueldos, Leubuzos, Wilinos, Stoderanos, vt de aliis taceam, prodidit; alii alios populos protulere. Vt vero ad Sorabos, quos alii Serbos, Srbos, et Serblios appellant, redeamus, credunt Viri quique doctiſſimi, illos eſſe eosdem cum Serbis Plinii, et Ptolomaei; cum enim aliae Slauicae nationes nomina, quae olim in Aſiatica, aut Europaea Sarmatia habebant, retinuerint, Serbos nomen quoque ſuum a Ponto Euxino in has oras attuliſſe; maxime quod, cum Serbos Ptolomaeus [7] inter Ceraunios montes, et Rha flumen collocet, Procopius populos Sarmatiam Aſiaticam incolentes enumerans, nullam eorum faciat amplius mentionem; quare veriſimile aiunt eſſe, Serbos ad Hunnorum ex vlteriore Aſia motus, prioribus deſertis ſedibus, in Sarmatiam Europaeam immigraſſe. At longe ante in Europa Serbos habitaſſe ex Plinio [8] colligo: *a Cimmerio*, inquit, *accolunt Maeotici, Vali, Serbi, Arrechi, Zingi, Pſeſſii, dein Tanaim amnem gemino ore influentem colunt Sarmatae.* Praeterea, non omnes cum Hunnis abiiſſe, ex Porphyrogenneta coniicio, qui Serborum Ruſſis ſubiectorum meminit: *Ineunte*, inquit, [9] *Nouembri menſe, quamprimum eorum Principes cum vniuerſa Ruſſorum gente egrediuntur Ciabo* (Kiouia), *et in oppida proficiſcuntur, quae Gyra appellantur, aut in Slauiniae loca Berbianorum, Drugubitarum, Crubi-*

7) Lib. V. cap. 9.
8) Hiſt. Nat. Lib. VI. cap. 7.
9) De Adm. Imp. cap. 9.

Crubitzarum, Seruiorum, reliquorumque Sclauorum, qui Russis tributarii sunt.

Iam vero a multis quaeritur, vtrum Serbi, aut Sorabi ab Albi, et regionibus Germaniae profecti sint in Croatiam et Dalmatiam, an ex Illyrico venerint in Germaniam? In diuersa hic abire dicebam Eruditos, aliis hanc, aliis illam, vt quaeque sibi videbatur verisimilior, propugnantibus sententiam; nos, quod recepimus, Serbos e Sarmatia in Germaniam, atque inde in Illyricum fuisse profectos, sumus demonstraturi. Et primum quidem aio, indubitatum esse, Germaniam prius ab Slauis, quam Dalmatiam et Illyricum, occupatam. Iornandes enim, qui opus suum, Iustiniano Imperatore, anno a nato Christo 530 concinnauit, scribit, Slauos sua aetate [10] ad sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, Dacicarum Alpium, atque ad fontes Vistulae habitasse; vnde patet, diu ante annum, quo Iornandes scripserat, Slauos in parte hodiernae superioris Silesiae, Polonia, aliisque versus mare Balthicum regionibus sedisse. Procopius vero eiusdem aetatis scriptor refert, [11] Herulos a Longobardis circa annum 493 debellatos, alios Istro traiecto in Illyrico consedisse, alios a vicinia Tibisci ad Danos, et Varnos, atque inde in Thulen migrantes, prius per cunctas Slauorum nationes transiisse, quam, quo tendebant, peruenissent. Quod quidem fieri non poterat, nisi Slauos sedes, quas ad Vistulam primum habebant, in regionibus etiam, quae inter Tibiscum, Danubium et Daniam interiacent, locasse dicamus: atque id quam necessario admitti debeat, nemo non videt, praesertim cum Germanis quoque ante an. 530 Slauos sub nomine Obotritorum non ignotos ex Einhardo

10) Cap. 5. de reb. Goth.

11) Lib. II. cap. 14. de bello Goth.

ſciamus. *Caetera vero loca*, inquit Einhardus de Saxonibus loquens, [12] *ipſi poſſederunt; a meridie quidem Francos habentes, et partem Thuringorum, quos praecedens hoſtilis turbo non tetigit, alueoque fluminis Vnſtrote dirimuntur: a ſeptentrione vero Nortmannos*, (quo nomine etiam Dani comprehendi ſolebant) *gentes ferociſſimas: ab ortu ſolis Obotritos, et ab occaſu Friſios, a quibus ſine intermiſſione vel foedere, vel concertatione neceſſaria finium ſuorum ſpatia tuebantur. Erant enim inquieti nimis, et finitimorum ſedibus infeſti, domi vero pacati, et ciuium vtilitatibus placida benignitate conſulentes.* Ex qua narratione auctor Seriei Chronologicae [13] duo deducit: *Primum Slauos Obotritorum nomine Germanis hoc tempore fuiſſe notos, cum Einhardus de iis, non veluti de nouis accolis, loquatur, eosque Slauicae fuiſſe originis nemo ſit, qui audeat ambigere. — Deinde cum Einhardus, ſeu etiam Eginhardus, vicinos populos omnes, ac ſine diſcrimine dicat domi fuiſſe pacatos, et ciuium vtilitatibus conſuluiſſe, apparet, Slauos iam hoc tempore ad ciuilem aliquam normam adiunxiſſe animum.* Dreſſerus [14] credit, impleta haud dubie prius Bohemia et Polonia, vt Balbinus ſentit, [15] Slauos iam circa annum Chriſti 500 veteres Vandalorum ſedes, Miſniam nempe, Luſatiam, Saxoniam aliasque regiones ad Oceanum ſitas, occupaſſe: *Heneti* (Vinidi), inquit, *et Sarmatae magnis agminibus, neſcio quo fato, in Marchiam infuſi a Danubio, ad fontes Albis vsque ad Cimbricam Cherſonneſum cum toto tractu Balthici maris compleuerunt ferme ab anno Chriſti 500.* Sed *Sereniſſimus Princeps* IABLONOVIVS

12) Apud Bremenſ. cap. 4. hiſt. Eccleſ. apud Lindenbrog.

13) Vien. edit. pag. 103.

14) Millen. VI. in March. Brandeb

15) Epitom. Hiſt. Boh. Lib. I. cap. 10.

vivs in opere suo pererudito, Vindiciis Lechi et Czechi,[16] longe citius Slauicas gentes in Germania consedisse tuetur: *Mihi sufficiat*, inquit, *obseruasse illud grauissimum testimonium, et quidem ex variis auctoribus, qui Venedos, seu Slauos Vistulae fluuii in Sarmatia, seu Polonia accolas, demum circa tempora praelii Catalaunici, id est, anno rec. sal. 451, vel 455 patrias reliquisse sedes, transmissaque Vistula inuasisse eas Germaniae terras, quas olim Vandali possederant, cumque Sueuorum a Vandalis relictorum expulissent reliquias, consedisse aiunt primum in iis locis, vbi nunc sunt Ducatus Pomeranicus, et Megapolitanus: deinde vlterius progressos occupasse non solum eam partem, quae nunc dicitur Marchia Brandeburgensis et Misnia, sed, traiectis Albi et Sala fluuiis, exegisse etiam Hermunduros, protulisseque fines ad siluam vsque Thuringicam, vbi adhuc duo Thuringiae fluuioli Sorbetz et Lugwitza Slauica obtineant nomina.*

Iam vero Slaui e sedibus, quas vltra Istrum habebant, sub Iustiniano potissimum regiones orientis, teste Procopio,[17] infestare coeperunt. *Ex quo tempore*, ait, *rerum potitus est Iustinianus, Hunni, Sclabeni, Antae pene quotannis incursionibus crudelissime depopulati sunt.* Ergo Slaui ante Iustiniani tempora, id est, ante annum 527 quo Iustinianus Imperator orientis est renunciatus, Illyricum, aut Dalmatiam non incoluerunt. Neque etiam ante annum 638 ibidem sedes fixisse, certum est nobis (Dalmatas autem et Illyrios, Slauos non fuisse, Cromerus pridem demonstrauit, atque nunc nemo negat, sique res ageretur, leui negotio conficeremus.) Quod ne nude tantum asseruisse videamur, omnes Slauorum in Illyricum, Thraciam, Dalmatiamque irruptiones enumerabimus, indeque ostendemus, Slauos post singulas incursiones ex iis regionibus,

16) Part. II. pag. 117.

17) In Hist. Arcana.

nibus, aut ſponte, aut coactos iterum deceſſiſſe. Anno IV. Iuſtiniani, qui in a. Chriſti 530 incidit, refert Procopius,[18] Chilbudium Iſtri fluminis cuſtodiae praefectum, atque operam dare iuſſum, vt fluminis tranſitu barbari in poſterum prohiberentur: *Iam enim ſaepe Hunni, Antae, et Sclaueni, traiecto fluuio, Romanos peſſime foediſſimeque vexauerunt.* Ex quibus colligimus, Slauos mox primis annis Iuſtiniani orientem incurſaſſe, neque eam, quam idem lib. III. cap. 38. retulit, primam, vt putauit Aſſemannus,[19] fuiſſe incurſionem, ſed interfecto Chilbudio demum factam: *Sub idem tempus*, inquit Procopius, *Slauenorum exercitus, tribus ſolum conſtans virorum millibus, nemine prohibente, Iſtrum fluuium traiecit, ac nullo negotio ſubinde transmiſſo Hebro flumine bifariam diſceſſit. Conſtabat pars altera mille octingentis, altera reliquis. Vtrosque, quamuis inuicem, vt dictum eſt, ſeparatos aggreſſi in Illyrico Thraciaque exercitus Romani duces, praeter opinionem victi ſunt; ac partim ibi ceciderunt, partim euaſerunt incompoſiti fugientes.* Et poſt pauca: *His peractis Thraciam omnem atque Illyricum impune vaſtarunt; ac multa vtrinque caſtella obſidione ceperunt, qui antea nec muros oppugnare, neque in campum deſcendere audebant.* Neque tamen Slaui aut in Thracia, aut in Illyrico permanſerunt, addit enim Procopius: *Ita vterque eorum exercitus, quaſi nimio ſanguine ebrius ac ſatur eſſet, quos in poſterum caperet, illorum parti donare vitam ſtatuit; quo factum eſt, vt domum omnes reuerſi ſint, cum captiuorum innumeris myriadibus.* Nec multo poſt *Sclauenorum cateruae*, eodem Procopio referente,[20] *quantae nunquam antehac prodierunt, ad imperii Romani fines progreſſae, traiecto Iſtro flumine, Naiſum vene-*

18) Lib. III. cap. 14. de bello Goth.

19) Tom. I. Orig. Eccl. Slau.

20) De bello Goth. Lib. III. c. 40.

venerunt, eo, vt subiungitur, consilio, vt Thessalonicam, vrbesque illi circumiectas, obsidione caperent. Sed a Germano, olim Antarum victore, deterriti sunt. *Itaque Slaueni hunc Germanum veriti, ac simul rati, florentissimo exercitu succinctum esse, vtpote qui aduersus Totilam, et Gothos ab Imperatore mitteretur, coeptum Thessalonicam versus iter statim abrumpunt, neque ausi amplius in campos digredi, omnibus Illyrici montibus superatis, in Dalmatiam intrant.* Iustinianus vero exercitum aduersus illos miserat, qui primum quidem est superatus, postremum tamen Slauos deuicit, atque e Thracia, Dalmatiaque profligauit: *reliqui barbari cum reliqua praeda domum reuersi sunt.* Qua clade nihil imminutis animis, rursus anno 552 Romanas Prouincias percursarunt, tantamque caedem vbique effecerunt, vt *cadaueribus*, verba sunt Procopii, [21] *vias omnes constrauerint, et cum infinita captiuorum multitudine, praedaque omni, quam cuncta vastando collegerant, domum redierint, nemine prohibente.* Nam Iustinus et Iustinianus, Germani filii, eos insecuti, ob vires inferiores cum illis congredi dubitabant, et Istri fluminis traiectum, Gepedibus eosdem transuehentibus, impedire non poterant. Anno 558 [22] Theophane teste, Slaui Hunnis coniuncti Thraciam vastarunt; sed quod magnos contra se belli apparatus fieri audirent, *missis legatis petiuerunt, vt sibi reditus tuto permitteretur, et Danubium traiicerent:* quod etiam obtinuerunt. Iustinianus enim, missis Iustino nepote suo et Curopalate, *eos dimisit incolumes.* Ex his iam patet, sub Iustiniano nullos Slauos in Illyrico, aut Dalmatia, etsi saepe conati sint, consedisse. Sed neque sub caeteris Imperatoribus ad Heraclium vsque

21) De bel. Goth. Lib. VII. cap. 25.

22) In Chronograph. ad. h. a.

vsque has regiones ab illis occupatas, eadem ratione demonstramus. Anno 581, qui fuit Tiberii quartus, vt habet Menander,[23] centum fere millia Sclauorum irruperunt, et Thraciam, multasque alias regiones vastarunt. Anno 583, Mauritii secundo, refert Theophanes,[24] Slauos, armis a perfido Auarorum Chagano instructos, iterum in Thraciam inuasisse, et ad longum vsque Murum progressos a Commentiolo primum abactos, deinde etiam prope Adrianopolim caesos, omnique praeda fuisse spoliatos. Atque haec erat vltima, quam in Graecis scriptoribus legimus, Slauorum incursio. Etsi enim anno 592 [25] nouam in regiones, trans Istrum locatas, irruptionem meditarentur, in potestatem tamen redigere non potuere. Vt primum enim istud Mauritio suboluerat, is Priscum ad ripas Istri custodiendas ablegauit: qui cum per exploratores cognouisset, Slauos per Prouinciam Romanam impune vagari, Istro superato, in eos raptim duxit exercitum, nihilque tale opinantes noctu adortus cecidit; inde progressus in vlteriora regem quempiam Slauorum, persolutis fratri funebribus, vino bene madidum, suique securum, magno praeterea numero caesis barbaris, oppressit, atque intercepit. Quibus rebus et Slauorum vires sunt attritae vehementer, et Romanorum ita auctae, vt Priscus anno 593 rursus eorum regiones fuerit depopulatus. Cui Petrus in supremi belli Praefecti munere suffectus anno 595 mille milites in eosdem, quod praedas in Romano agro egissent, immisit; a quibus Slaui, praeda tamen retenta, sunt depulsi. Minus prospere anno sequenti rem Petrus gesserat; [26] Slauorum enim progressibus, quos Byzantium versus

23) In Excerpt. Legat. pag. 124.

24) In Chronogr. ad h. a.

25) Theophan. in Chronogr. ad h. a.

26) Idem ad h. a.

versus fama fuit aduentare, obuiam iturus Norbas, vrbem Moesiae, se contulit, et fugatis, qui a transmissione Istri prohibere conabantur, barbaris, flumen traiecit; actisque in hostili praedis cum se reciperet, in insidias, quas difficulter, magnisque acceptis detrimentis, euasit, praecipitauit. Anno 598 *Chaganus*, vt habet Theophanes,[27] *collectis omnibus copiis in Dalmatiam expeditionem suscipit. Balben, et circumpositas ciuitates omnes vastauit.* Et quamuis tum audita clade suorum, a Prisco accepta, ad sua remigrauerit Chaganus: non multo tamen post tempore in Dalmatiam reuersus, eandem maxima ex parte subiugauit, atque ad Chrobatorum et Serborum vsque aduentum possedit. Quae qua occasione sub illius potestatem fuerit redacta, libeat Porphyrogennetam audire: *Congregabantur*, inquit, [28] *ex reliquis Dalmatiae vrbibus equites, et mittebantur Salona vsque ad mille ad flumen Danubium, vt ibi excubias contra Abares agerent. Ad illam enim Danubii partem Abares tum commorabantur, vbi hodie Turcae* (Hungari) *degunt, Nomadum instar viuentes. Venientes autem quotannis Dalmatae, cum saepe illic iumenta hominesque viderent: traiicere illis aliquando visum fuit, et inuestigare, quinam ibi degerent. Cum itaque traiecissent, Abarum feminas et pueros solos inuenerunt, viris et iuuenibus ad expeditionem bellicam profectis. Vnde subito ingruentes omnes ceperunt, nulloque accepto damno reuersi sunt, praeda hac Salonam adducta. Abares autem, ex bellica expeditione reuersi, re cognita consternati quidem erant, at vnde vulnus hoc sibi inflictum esset, ignorabant. Quamobrem obseruandum sibi tempus statuerunt, et ab eo omnia discenda. Postquam igitur pro more rursum missi sunt Salona praesidiarii, et*

27) In Chronogr. ad h. a. 28) De Administr. Imp. cap. 30.

et alii essent a primis, idem consilium et ipsi ceperunt, traieceruntque contra Abares. Incidentes vero in illos, non sparsos, vt antea, sed collectos, non solum nihil effecerunt, sed omnium grauissima passi sunt; quippe partim caesi, partim capti fuere, neque quisquam fuit, qui e manibus illorum euaderet. Percontati vero, quinam, et vnde essent, intellectoque ab ipsis, se mala supra commemorata perpessos esse, insuper de loci qualitate inquirentes, quasi ex auditu amore accensi, in vinculis eos tenuerunt, et vestibus eorum sumtis, equisque conscensis, flammula, et reliqua signa, quae secum attulerant, tollentes, more exercitus Salonam perrexerunt. Cognito igitur tempore, quo a Danubio redire soliti erant praesidiarii, quod erat magnum Sabbatum, etiam eodem die venerunt. Multitudo autem omnis cum Vrbi appropinquauit, sese occultauit; mille vero, qui equos et vestes Dalmatarum sumserant, vt fallerent, vlterius perrexerunt. Oppidani, cognitis signis suis et vestitu, et praeterea die, quo redire ipsis solenne, portis apertis gratulabundi eos exceperunt. Illi vero statim ac intrassent, portas occupant, et signo reliquis, qui in insidiis erant, dato, accurrere et ingredi iubent. Interfecerunt itaque omnes ciues, et ex eo tempore Dalmatiam vniuersam occuparunt, sedemque illic suam collocarunt, exceptis oppidulis mari adiacentibus, quae se ipsis non tradiderunt, sed in Romanorum potestate permanebant. Haec Porphyrogenneta. Quae etsi satis clara sunt, Slauosque serius omnino in Illyrico, quam in Germania consedisse, euincunt: non desunt tamen, qui contrarium tueantur. Iustinianus, aiunt illi, ab Illyriis *Vppraudа*, Sabbatius eius Pater *Istokus*, Mater vero *Bigleniza* alio nomine appellabantur; haec autem nomina cum Slauica sint, Slauos est necesse in Illyrico fuisse. Paucis ad haec, etsi multa afferre possemus, cum alius ista sibi pertractanda sumserit, respon-

reſpondemus: facile contingere potuiſſe, vt allata vocabula Illyriis a Slauis, quos ab iis Iſter tantum dirimebat, adhaeſerint; quemadmodum Gothis, et veteribus Turcis nouimus accidiſſe, in quorum idioma multae Slauorum voces irrepſere; ita, vt alia praetermittamus, vtrique, more Slauis recepto, principes ſuos *Voeuodas* (Voiuodas) appellabant. Atque iſtud aliis quoque accidere gentibus, vt ex vicinorum populorum idiomate multas in ſuum voces recipiant, vel hodie obſeruamus. Sed, ne nimis duri noſtris aduerſariis videamur, demus, Slauos Iuſtiniano Imperatore, a quibus *Vprauda* appellari potuerit, Illyricum incoluiſſe, qui ſeu ſeruorum Sarmaticorum, ſeu illorum, qui ſub ſignis Iuſtiniani in Italia merebant, fuerint reliquiae, quam pauciſſimi certe fuerunt, atque Gothis immixti, cum quibus etiam haud dubie ex Illyrico et Dalmatia pulſos eſſe crediderim, quod Serbi, et Chrobati, vt paullo poſt ex Porphyrogenneta dicemus, non Gothos, neque Slauos, ſed Auares harum regionum incolas inuenerint. Quid? quod nondum per haec poſſit demonſtrari, ante Iuſtinianum Slauos in Illyrico fuiſſe; quamquam iſtud Sarnicki, diligens caetera ſcriptor, infelici tamen, vt videbimus, ſucceſſu, probare ſit conatus. Hic inter alia, quibus vſus eſt, argumenta, ſequens adducit. 29) *Addatur hic et illa legatio Iuſtiniani ad gentes Slauonicas, qua hortatur eas, vt ſedes veteres incolant in Illyrico ad vrbem, Turrim Traiani dictam. Ex quo loco apparet, dudum gentes noſtras habitaſſe in Illyrico ante Iuſtinianum, ſed nondum ab exteris vocatos fuiſſe Slauos.* Sed bonus hic auctor, ſi Procopium legiſſet, vtique etiam aduertere debuiſſet, Turrim Traiani trans Iſtrum ſitam fuiſſe; deinde illam *veterem Ciuitatem*, id eſt, vetuſtate fortaſſis collabeſcentem,

29) Annal. Pol. Lib. IV. cap. 23.

non autem veterem ſedem Slauorum a Procopio nominari. *Slauis*, inquit Procopius, [30] *Iuſtinianus antiquam Vrbem, Turrim appellant, quae trans Iſtrum fluuium ſita, conditaque olim a Traiano, Romanorum Imperatore, dedit, agrosque circumiacentes, modo vt, icto ſecum foedere, Hunnis Romanum imperium incurſare volentibus, ſeſe vbique opponerent.* Quae duo ſi Sarnicki obſeruaſſet, neutiquam intuliſſet, dudum gentes noſtras ante Iuſtinianum in Illyrico habitaſſe. Quidquid ſit, neſcire nos fatemur, cur Graeci, ſi Slaui Illyricum inhabitarint, eos, qui trans Iſtrum degebant, tantopere demirati fuerint, gentemque ignotam ſibi principio profeſſi fuerint: [31] vtique iſta a Slauis Illyrici incolis edoceri poterant? Sed iam iſtud nunc agamus, vt Slauos e Germania in Illyricum immigraſſe, et quo id factum ſit tempore, oſtendamus. Conſtantinus Porphyrogenneta [32] refert, Heraclio imperante Chrobatos et Serbos, gentem vtramque Slauicam, miſſis legatis, ab Imperatore petiiſſe nouas ſedes, impetraſſeque Dalmatiam, quam tamen prius armis aſſerere ſibi debuerint. *Chrobati,* ait, *ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerant, antequam Seruii confugiſſent ad eundem Imperatorem Heraclium; quo tempore Abares armis inde Romanos eiecerant, quos Roma adductos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, vnde et Romani nuncupati ſunt, quod Roma venientes ſedes poſuiſſent in illis regionibus, nempe Chrobatia et Seruia, vti nunc vocantur. Pulſis vero Romanis illis ab Auaribus, tempore eiusdem Romanorum Imperatoris Heraclii, deſolata eorum regio iacuit. Quapropter iuſſu huius Imperatoris, iidem Chrobati, armis arreptis, Auares ex illis locis expulerunt, et*

30) De bel. Goth. Lib. III. cap. 14.

31) Vide Procop. Theophan. Menand. et alios.

32) De admin. Imp. cap. 31.

et in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent, ſedes collocarunt. Idem quoque de Seruiis ſequenti capite tradit. Neque tamen omnes exceſſiſſe, ex iis, quae ſequuntur, intelligimus. *Vna autem generatio, nempe quinque fratres Clucas, Lobelus, Coſentzes, Muchlo, et Chrobatus, duaeque ſorores Tuga et Buga, vna cum ſuis populis deſcendens ab ipſis in Dalmatiam venit, vbi Abares incolas inuenerunt; belloque per annos aliquot inter eos geſto, vicerunt Chrobati: Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere ſibi coegerunt: atque ex illo tempore a Chrobatis poſſeſſa haec regio fuit, ſuntque etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiae, et Abares eſſe cognoſcuntur. Caeteri vero Chrobati verſus Franciam commorabantur, et appellantur hodie Belo-Chrobati, ſiue Chrobati Albi, qui proprio Principi ſubiecti ſunt. Parent autem Ottoni Magno, Regi Franciae et Saxoniae,*[33] *baptiſmique expertes affinitatem cum Turcis et amicitiam contrahunt. At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quaedam ſeceſſit, et Illyricum atque Pannoniam occupauit: habebantque ipſi etiam Principem ſupremum, qui ad Chrobatiae tantum Principem amicitiae ergo legationem mittebat. Per aliquot vero annos iſti Chrobati Francis ſubiiciebantur, quemadmodum et antea, dum in ipſorum terra degerent. Tanta autem in eos crudelitate vtebantur Franci, vt lactentes adhuc eorum pueros occidentes canibus obiicerent. Quae res cum intolerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, Principes, quos ex ipſis habebant, interemerunt, vnde magnus contra eos exercitus mouit e Francia, et poſt ſeptem annorum bellum aegre tandem ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque*

33) Alii Auctores, atque ipſe interpres Porphyrogennetae verterunt: *quae et Saxonia*, ſed minus recte, cum in graeco (edit. Venet.) legatur φραγγίας τε καὶ Σαξίας, et ad Verbum, *Franciaeque et Saxoniae* reddatur.

rumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerunt. *Et exinde liberi, ac ſui iuris facti, ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petierunt, miſſique Epiſcopi ipſos baptizarunt, principatum tenente Porino.* Quid igitur certius, quam hodiernos Illyrici accolas aduenas eſſe? Vnde vero aduenerint, multis locis indicauit. *Chrobati*, ait cap. 30. [34] *vero tunc habitabant vltra Bagibarias, vbi nunc ſunt Belo-Chrobati.* Item capite 31. [35] *Chrobati, qui Dalmatiae partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptiſmi expertibus, qui et Albi appellantur, originem ducunt: qui ſane vltra Turciam prope Franciam incolunt, et Slauis contermini ſunt non baptizatis Seruiis.* Et cap. 32. [36] *Sciendum eſt, Seruios oriundos eſſe a Seruiis non baptizatis, qui etiam Albi cognominantur, et vlteriora Turciae incolunt in loco, ab illis Boici nuncupato, cui finitima Francia eſt, vti et magna Chrobatia baptiſmi expers, quae etiam Alba cognominatur. Illic igitur initio Seruii hi habitabant.* Habitabant ergo Chrobati vltra Bagibarias et Turciam prope Franciam, quibus erant vicini Seruii, in loco Boici dicto conſidentes. Turciam pro Hungaria, Franciam vero pro hodierna Germania Porphyrogennetam ſcripſiſſe, extra dubium eſt; quid autem per Bagibarias intellexerit, cum auctores diſcrepent, videamus. Bandurio Βαγιβάρεια eſt *Slauum vocabulum graece detortum, id eſt* Βάβεια Ὄρεια, *ſeu Babii montes, Slauis Babie Gore, videlicet vetulae, vel vetularum montes, quo nomine Carpathii montes, Poloniam ab Hungaria diſterminantes, ab aliquibus nuncupantur.* [37] Idem ad verbum retulit ex eo Aſſemanus: [38] vtrique adſtipulatur Auctor Seriei Chronologi-

34) De Adm. Imper.

35) Ibid.

36) Ibid.

37) Serius mentem Bandurius mutauit, fluuiique alicuius id nomen fuiſſe, vt ex mappa Porphyrogennetae de Adm. Imper. praefixa apparet.

38) Tom. I. Orig. Eccl. Slau. pag. 487.

nologicae, quam opinionem nos quoque amplectimur. *R. P. Gelasius Dobner* per Bagibarias Bauariam intelligi debere dicit. Omnino si vocum similitudinem spectes, est illa aliqua; verum tot contra hanc opinionem pugnant rationum momenta, vt nisi errare malis, eam mittere debeas. Haec autem habet: 39) *Porphyrogenitus — vt ex posterius referendis apparebit, per Bagibareas nihil aliud intellexit, quam Bauariam, quae seculo X, quo scripsit Porphyrogenitus, non raro hanc appellationem inter scriptores obtinuit. Eandem enim scriptionem refert Chronicon Massacense; et quam mire veteres in scriptura huius vocabuli variauerint, iam in Prodromo pag. 65. ex Cluuerio ostendimus, vbi varie detortum legitur. Boioarii, Boiouarii, Bayuarii, Boibarii, et Baibarii. Cur autem Graeci inter α et ι interseruerint γ, vel mediocriter linguae Graecae gnarus facile rationem reddet.* Enimuero γ pro diaeresi adhibere, (nam huc dictis suis male collineat) insolens scriptoribus Graecis esse aio, ausimque cum eo sponsione graui decertare, nullum ab illo mihi scriptorem nominatum iri, qui, ne αι vno sono pronunciaretur, γ interposuerit. Quare nimis confidenter dictum esse putamus; *vel mediocriter linguae Graecae gnarum facile rationem redditurum, cur inter α et ι sit γ intersertum.* Sed afferamus reliqua: *Caeterum per Bagibareas Porphyrogenitum minime intellexisse hactenus omnibus veteribus incognitos Babios montes, ex his eruitur: nam Porphyrogenitus non scribit Babigorias, vt scribere oportuisset, si Slauice Babios montes connotaret. Babi enim, non Bagi, Slauis vetulas, et Gor, non Bar, montem significabat; vt itaque palam sit, doctissimum Ioannem Lucium assertionem suam soli coniecturae superstruxisse, cum scilicet non assequeretur, quam regionem Porphyrogenitus per Bagibareas designatam vellet.* Veteres ignorarunt: quid tum? an-

39) Annal. Hagecian. Part. II. pag. 12.

annon multa veteribus obſcura fuere, quae nobis clara ſunt? Sed nego, veteres omnia, quae litteris non conſignarint, ignoraſſe. Quis enim prudens iſtud a ſcriptore quopiam exigat, vt non modo vrbium ſingularum, verum etiam oppidorum, montium, fluuiorum, etc. nomina operi ſuo inſerat. Satis eſt, hodie montes Babios non ignorari; adeat, qui plura de iis cognoſcere voluerit, *P. Rzaczynsky* S. I. Hiſtoriam Naturalem Regni Poloniae. Caeterum auctor ſum huius ſententiae patronis, ne nimis ſaepe, quod a ſilentio veterum deſumitur, vtantur argumento; futurum enim eſt, vt, quod nuper in certamine pro Zichis ſuſcepto ſibi accidiſſe non ignorabunt, iisdem telis, quibus alios improuide ferire volebant, obruantur, et confodiantur. *Sed Porphyrogenitus non ſcribit Babigorias, vt ſcribere oportuiſſet, ſi Slauice Babios montes connotaret:* atqui neque Βαϊβάϱειας, neque Βαϊβάϱειαν, neque Βαϊβαϱίαν ſcribit, vt ſcribere oportuiſſet, ſi regionem Bauariam connotaret. Nam primum Graeci pro diaereſi γ non adhibent; deinde nomina regionum per ει ſcribere, atque numero multitudinis efferre non ſolent; niſi fortaſſe, vt etiam aliquid coniecturis indulgeamus, Porphyrogennetam Bagibarias Bauariam, vrbem eſſe aliquam, velut Venetias, Pariſios, et quod R. P. *Gelaſius* adhibet, Lipſias 40) crediidiſſe dicamus; at bonum hunc Imperatorem in hoc erraſſe turpiter, vel mediocriter geographiae peritus demonſtrabit: vt itaque palam ſit, R. P. *Gelaſium* modica ſimilitudine vocum, quae ipſe ſemper eſt in amoribus, inductum aſſertionem ſuam ſoli coniecturae ſuperſtruxiſſe, cum ſcilicet non aſſequeretur, quid Porphyrogenneta per Bagibarias deſignatum vellet. Meminiſſe profecto oportebat

40) Part. II. Annal. Hagecian. Praefat. II.

tebat *Graecarum aurium*, vt eleganter diſſerit Bayerus,[41] *tam admirabile fuiſſe faſtidium, vt barbaros vocabulorum ſonos non ferrent. Itaque ſeu noua nomina gentium, locorum, hominumque e lingua ſua effingebant, ſeu barbara ita ori aurique Graecae aptabant, vt vix tenue remaneret veſtigium, vnde eſſent ducta. De ea conſuetudine Plato in Cratylo diſputat. Is quoque in Timaeo vocabula Atlantici ſermonis retinere non audet, niſi Graece enunciata. Sed vaga fuit enunciandi talia lubido, nullis definita praeceptis, vt in primis e Perſicis, et Medicis, et Armenicis nominibus intelligi poteſt.*

Quare cum certum ſit, valde ſaepe Graecos, recentiores maxime, in nominibus idiomatis exteri proferendis aberraſſe, quidni idem de Porphyrogenneta ſtatuamus, cum valida nobis ſint argumenta, quibus per Bagibarias, Babios montes, ſeu Carpathicos intelligi debere euincamus? vltra Turciam et Bagibarias prope Franciam habitabant Chrobati. Si itaque in locum, vbi Porphyrogenneta ſcripſerat, Conſtantinopolim obtutum defigamus, intelligemus, vltra Hungariam et Carpathum prope Franciam habitaſſe Chrobatos. Quodſi vero ſcriptor Bauariam deſignauit: tum profecto vltra Hungariam penes Bauariam Chrobatos habitaſſe ſcribere debuiſſet. Nam vltra Bauariam non Slaui, ſed Thuringi, Saxones et Franci ſedes habuerunt, quod neque R. P. *Gelaſius* negare videtur, cum eos in Bohemia, quae ad latus Bauariae adiacet, collocet; quae autem contra Carpathicos montes protulerat, ſuorum immemor dictorum videtur protuliſſe. In Prodromo enim Annalium Hagecianorum[42] Caruatas a Carpathicis

41) Comment. Acad. Petropol. Tom. I. in Diſſert. de Orig. et priſcis ſed. Scythar.

42) Pag. 57.

cis montibus asserit appellatos. Quomodo vero, si in Bohemia sedes habuerunt, a Carpato nomen accepere? Etiamne in Bohemia mons Carpatus? nisi R. P. *Gelasium* montem mutasse dicamus, atque tum, cur istud fecerit, et hanc priori praetulerit opinioni, solidiores rationes adferre debuisset. Haec vero omnia maximum robur ab iis accipiunt, quae Porphyrogenneta alio loco enarrauit: [43] *Magna autem Chrobatia, quae etiam Alba cognominatur, in hodiernum vsque diem sine baptismo est, quemadmodum et finitimi Seruii: equitem, peditemque non habet tam numerosum, quam baptizata Chrobatia, quippe frequentibus incursionibus infestata Francorum, Turcorum, Patzinacitarum, neque sagenas, neque conduras item, aut nauigia ad mercatum habet, vtpote a mari remota: a quo quidem triginta dierum itinere distat, illud est, quod Nigrum appellatur.* Ex his enim patet, Chrobatos non modo Francis, atque Turcis, verum et Patzinacitis, hodiernae Transiluaniae tum incolis, vicinos fuisse. Non potuissent autem dici Patzinacitis vicini, si vltra Bauariam habitabant. Quis itaque non videt, Chrobatos, cum accolae Patzinacitarum dicantur, ad Carpatum, quo ab his dirimebantur, incoluisse? nisi quis affirmare velit, Patzinacitas Chrobatorum fines deuastaturos per Turciam exercitus ductitasse; quod per me credat, qui volet, mihi certe nemo persuaserit. Habebant igitur sedes suas Chrobati, vt ex adductis elucescit, in Polonia, Silesia, et Morauia, atque fortassis etiam in extrema Bohemiae, quae in septentrionem spectat, parte: nam vlteriora eiusdem ab illis inhabitata, quidquid alii sentiant, negamus propterea, quod Serbos ibi, atque in vicinis regionibus, hodierna Lusatia, Misnia etc. consedisse, vt affirmemus, multis inducimur: Porphyrogenneta Seruios scribit vlteriora Tur-

ciae

43) De Admin. Imp. cap. 31.

ciae incoluisse, in loco Boici ab illis nuncupato, cui finitima est Francia, vti et magna Chrobatia: quae cui loco aptius conueniant, quam ei, quem olim populus Gallicus, Boii, occupabant? Nam etsi Boiorum regio, Boiohemum, Boiemia, Boemannia, et aliis diuersis a voce Boici nominibus diceretur: nihil tamen obstat, ne vocem hanc, vt priorem Bagibariae, aut a Porphyrogenneta, aut, quod verisimilius est, ab ipsis Sorbis, quia Porphyrogenneta addat, locum Boici ab illis nuncupari, corruptam esse dicamus. Accedit, quod auctor Chronici Boleslauiensis, de Czecho scribens, Serbicae, non Bohemicae linguae mentionem facit. Sed cum hunc locum, iam ante nos ipse *Serenissimus Princeps* in suo doctissimo opere Vindiciis Lechi et Czechi solide tractauerit, ipsum exscribamus; sic autem habet: [44] *Rectius nostro quidem iudicio Bohemi scriptores facturi erant, si maiores suos origine Serbos, seu Srbos dictos, deinde etiam Sorabos, et post migrationem in Dalmatiam Seruios, fuisse, asseruissent, vt quos etiam e veteribus suis ad Wolgam sedibus probabilissime excessisse, ex Procopio, Porphyrogeneta, et Pachymere colligi diximus, ac Bohemis fuisse vicinos, sitos ad septentrionem, et occidentem, nullum est dubium. Coniecturae huic nostrae occasionem praebuit Chronicon Boleslauiense, nescio, cuius auctoris, a Bohemis tamen scriptoribus frequentius adductum, in quo haec leguntur.*

Wsrbskey gaziku gest zemie
Gez Charwati gest gmie
Wte zemi biesse Lech
Gemuz gme diegich Czech etc.

44) Part. I. pag. 70.

Latine. In Srbica lingua eſt terra,
Quae Charwatiae appellata eſt,
In hac terra fuit ingenuus iuuenis,
Is nomine dictus eſt Czech.

Cur autem, oro, Bohemus ſcriptor de origine Slauorum ſuorum Srbicam linguam, non Bohemicam nominauit? Cur, inquam non ſcripſit, vt Bömſkey, ſeu Czeſkey? Cur non etiam, quod proinde fuiſſet, vt Potſkey, Ruſkey, Wiltzkey gaziku, ſeu in lingua, vel etiam ratione, nam in Slauico idem denotat, nec contra rem noſtram facit, Polonica, Ruſſica, Wilzika etc. cum et iſtae linguae ſint Slauicae? Ego quidem arbitror, auctorem illud eo conſilio feciſſe, vt oſtenderet, linguam Bohemicam eſſe origine Srbicam, et ipſos Slauos Bohemiae fuiſſe origine Serbos, poſtea autem et libere ab ipſis Bohemiae Slauis Serbis aſſumtum fuiſſe nomen Czeſky, quo ſe, vt regione ipſa, ita et nomine diſtinguerent a Sorabis. Neque diuerſa ab iis, quae de Chrobatis ſupra diximus, idem *Sereniſſimus Auctor* ſentit, cum referens verba Porphyrogennetae: *Caeteri vero Chrobati verſus Franciam,* inquit, 45) *per quos opinor recte non modo Moraui, et Bohemi, ſed etiam Slaui minoris ſaltem Poloniae deſignantur.* Satis itaque conſtat, Chrobatos et Seruios regiones, quas nunc Poloni, Moraui, Bohemi, Luſati etc. colunt, habitaſſe, hisque deſertis, Heraclio imperante, anno 638, quem cum auctore Seriei Chronologicae, cum certus erui nequeat, veroſimillimum eſſe putamus in Illyricum conceſſiſſe. Neque hanc primi ſententiam tuemur, multos iam illa et lapſis ſeculis, et praeſenti numerauit patronos. Idem tradidit, etſi nonnulla erronee, Thomas, Archidiaconus Spalatenſis, ſcriptor ſeculi XIII. cuius verba, vt illa ex Aſſe-

45) Part. I. Vindic. pag. 89.

Assemano desumsimus, [46] adnumeramus: *Gothorum* [47] *tempore, qui Totila duce de partibus Teutoniae, et Poloniae exierunt, dicitur Salona fuisse destructa.* Et post pauca: *Venerant de partibus Poloniae, qui Lingones appellantur, cum Totila septem vel octo tribus nobilium: hi videntes, terram Croatiae aptam sibi fore ad habitandum, quia rari in ea coloni manebant, petierunt, et obtinuerunt eam a Duce suo. Remanentes ergo ibidem, coeperunt opprimere indigenas, et ad suum seruitium subigere violenter.* Et post pauca: *Coeperunt autem habere proprios duces, et quamuis praui essent, et feroces, tamen Christiani erant, sed rudes valde: Ariana etiam erant labe respersi. Gothi a pluribus dicebantur, et nihilominus Slaui, secundum proprietatem nominis eorum, qui de Polonia, seu Bohemia venerant.* Crantius, referente iterum Assemano, [48] etiam scribit: *Slauos regionem suam ab omni memoria ad Sarmaticos campos tenuisse: et quum angustae eis essent sedes in Polonia, Bohemia, Russia; nouas a Constantino Magno in Pannonia impetrasse, indeque imperante Mauricio in Dalmatiam et Illyricum profectos esse.* Male tamen Vandalos cum Slauis commiscet, illi enim, non hi, sedes a Constantino Magno in Pannonia impetrarunt: caetera recte. Cromerus etsi totus non sit pro nobis, cum neget, e Polonia et Bohemia Slauos in Dalmatiam et Illyricum venisse: *Potest enim*, inquit, [49] *probari e Procopio, et Sabellico, Thraciam et Macedoniam, velut viciniores, ab iis prius, quam Illyricum, et Istriam vexatas esse; e Polonia vero et Bohemia proficiscentibus hae regiones prius sese offerunt, quam illae;* tamen manifestum esse ait, neque e Croatia, neque e Pannonia Slauos populariter

46) Tom. I. orig. Slau. Eccles. pag. 7. Part. II. c. 7.
47) Hist. Sax. Pontif. et Spal.
48) Loc. cit. cap. 5.
49) L. 1. Hist. Pol.

in hanc oram, ſed e ſeptentrionali inter Viſtulam et Boryſthenem plaga aduenisse. Eandem ſententiam amplexus eſt Pragus, multis locis idem affirmat Aſſemannus, nouiſſimeque Auctor Seriei Chronologicae, qui praeter quam quod iſtud ſaepiſſime inculcat, ad an. 638 fuſe non minus ac docte de his egerat. In eandem rem citat R. P. *Gelaſius* Blondum, Bonfinium, et Beſoldum, *Blondus*, inquit, [50] *multis idem oſtendit*, *ac dein ſubiungit: Sueropilo Dalmatiae Regi ſubdita Slauorum gens, quam a Bohemiae Germanis, id eſt Germaniae incolis, originem habere oſtendimus.* In margine notatur Liber 3. Reliquorum autem verba non adducit. Sed qua decade, tres enim ſcripſerat, iſta Blondus habeat, fatemur nos ignorare; nam nequidquam quaeſiuimus: niſi tamen fallimur, Bonfinio ſunt haec adſcribenda, qui, diuerſe tamen aliquantum ab iſtis, ita habet: [51] *Sueropilus Dalmatiae Rex, atque gens Slauorum illi ſubdita, quae a Bohemis Germaniae genus deduxit, tunc primum Chriſti fide initiata eſt.* Quid? quod Blondus hanc ſententiam defendat quidem, aliis tamen ac citatis vtatur verbis: en illa: [52] *Nec tamen omnis illa gens* (Slauica) *reliquit primas ad Danubium ſedes, quin iidem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis, ſiquidem locutionis ſimilitudo, ac pene proprietas oſtendit, eos, qui nunc Poloni et Bohemi dicuntur, ex Slauorum reliquiis fuiſſe. Incoluerunt autem prius, vt ſupra diximus, ea loca Vandali, quos credendum eſt, quando ad Romanorum inuadendas prouincias ſunt profecti, partem gentis in patria reliquiſſe. Quare Slaui paullo poſt ſuperuenientes ita locutiones commiſcuere, vt ex vtraque tertiam effecerint, quae pro regionis et*

Ducum

50) Part. II. Annal. Hagec. pag. 16.

51) Dec. I. Lib. X. pag. 151. edit. Hanov. an. 1606.

52) Dec. I. Lib. VIII. pag. 115. edit. Baſil. an. 1531.

Ducum diuersitate, partim Bohemica, partim Polonica postmodum sit dicta. Sunt etiam certiores proximis in regionibus Slauorum reliquiae apud Saxones, quorum Coloni maiori ex parte puram habent, qua Dalmatae nunc vtuntur, Slauonicam locutionem. Et alibi: [53] *Facta autem est postmodum alia in dictis gentibus mutatio, siquidem Vandali, a fluuio regionis sic dicti, paullo post quam illi, quos Stilico concitauit, patria erant profecti, et se Slauos dixere a nomine gentis, quae a Bosporo Cimmerio in Tanaim fluuium habitare solita, se contulit in sedes Vandalorum Burgundionumque, patria profectorum. Nec tamen diu tenuere hi populi eam Slauorum nominationem: sed cum eorum pars Mauritii Imperatoris temporibus in Dalmatiam Illyricumque emigrasset, qui manserunt domi, paullo post mutarunt nomina, et partim se Polonos, partim Bohemos nominauere.* Quae nos credere faciunt, R. P. *Gelasium* nominatos auctores non inspexisse, atque ex alio quopiam auctore exscripsisse.

Nec alienus ab istis erat Balbinus, cuius locum, longiusculum quidem, atque paullo fusiorem, tamen vt palam fiat, eum non adeo, vt quidam volunt, semel assumtis adhaesisse, quam ea, dummodo auctor aliquis vetustior fideique probatae doceret aliud, deponeret, describemus: *Sabellicus*, ait, [54] *diserte scribit, in secunda Slauorum migratione, Slauos a Cimmerio Bosporo per Tanaim, et Maeotidem paludem, vt etiam Vadiano et Decio adductis Goldastus existimat, bipartito digressos, partem vnam ad dextram deflexisse, scissamque esse in duos populos, Bohemos et Polonos, alteram transmisso Danubio, secundum suum amnem ad Dalmatiam vsque sedes tenuisse, nihil mutato nomine; Blondus vero, et Crantius tradunt: Slauos e Polonia demum*

53) Dec. I. Lib. I. pag. II.

54) Miscel. Hist. Dec. I. Lib. II. cap. 9. pag. 27. a.

demum et Bohemia profectos orientales illas Romani Imperii prouincias inuasisse. Ego non magnopere pugnabo, modo suum Czecho et Lecho aduenientibus tempus tribuatur, de totius antiquitatis consensu. Dresserus Slauos Illyricum, et mari Adriatico propinquas oras, Iustiniano et Mauritio Imperatoribus, inuasisse tradit. Congruit Rhenanus, aitque, sed tempus non addit, Slauos, cum finitimis saepe venissent auxilio, terrae melioris occupandae gratia tandem populariter transeuntes in Illyrico consedisse, et ex his partem aliquam, deinde Bohemiam, et regionem proximam, quam a fluuio Marauaha Marauaniam appellant, occupasse. Nam Marcomanni cum Hermunduris iam pridem in Noricum et Vindeliciam transierant. Citatur in hanc sententiam et Suidas. Idem sensisse postea videtur Bonfinius, cum Slauoniam Vngaricam Bohemorum coloniam appellat. Clarius id expressit alio loco: Slaui, inquit, e regionibus transistrianis (Bonfinio scribenti trans, nobis cis Danubium, ex nostra videlicet ripa) promanarunt, atque Istriam, et Dalmatiam occuparunt, eamque a se Slauoniam dixere. Primas sedes, pergit Bonfinius, trans Danubium non reliquere: ex quibus Bohemi, Poloni, Amaxobii, siue Rutheni, et Roxolani adhuc permanent. Videat Lector Bonfinium clare docere, constituta iam Bohemia in his nostris sedibus, Bohemos nostros coloniam duxisse, et Slauoniam prouinciam fundasse, ac populo impleuisse. Idem, vt ante dixi, habet Crantius, et Blondus, et Vngarici plerique scriptores, ac fere omnes, qui de Slauonia egerunt, ipsique incolae ex maiorum traditione a Bohemis se ortos gloriantur. Besoldus id factum esse putat anno Christi 526; citatque in eam rem Sabellicum; at Sabellicus de secundo in has oras Slauorum aduentu loquitur, non de Colonia Bohemorum. Crantius annum ponit 583, quo Bohemi in Dalmatiam e Bohemia transiuerint. Chronicon Mundi

incerti

incerti auctoris A. C. 1492 Noribergae typis expressum de Dalmatis agens diserte adiicit: Slauos Dalmaticos e Bohemis ortos; annus, quo id gestum sit, non additur. Haec Balbinus. Ne tamen plane fidem his adhiberet, credo eum absterruisse, quod Czechum, quem acerrime tuebatur, sibi ereptum iri praeuidebat. Atque istud multos etiam hodie deterret. Cum enim Czechus tradatur cum caeteris Slauis in Bohemiam e Croatia aduenisse, nos vero doceamus, nec Slauos ibi tum fuisse, nec id nomen adhuc exstitisse: Czechum, nisi nobis contradicant, se non seruaturos opinantur; et licet regionem, e qua Czechus venerit, nondum Croatiam fuisse appellatam confiteantur, errorem tamen facile excusatum iri confidunt, dum haec per prolepsin dicta esse, et pro Croatia aut Dalmatiam, aut Illyricum reponi debere asserunt. At si semel, ea quae Porphyrogenneta habet, admittantur, omne dubium euanescit. Nam et Croatiam, ne ad eam, quae sic posteriori tempore est appellata, recurrere opus sit, vnde suum Czechum deducere valeant, habebunt, et traditionem non violatam conseruabunt. Quodsi vero nobiscum sentire detrectauerint, tum eum, quem protracturi sumus, et qui nos premit vehementer, tollant scrupulum. Chrobati et Seruii paullo post ab aduentu suo, quod supra e Porphyrogenneta retulimus, anno, vt credunt nonnulli, 641 sacro lauacro sunt initiati; si vero Bohemi sunt Chrobatorum et Seruiorum coloni, qui factum est, vt Borziuoius primus Bohemorum anno demum 874, cum illi annis iam 233 ante Christiana sacra colerent, baptizatus fuerit? Alii contra sunt, qui per Bagibarias montes quidem intelligi debere affirment, alios tamen a Carpaticis sibi effingant. Serbos autem et Chrobatos e Carentania

in Illyricum deducunt, ſed quam improuide, e Porphyrogenneta, quem male in ſuas trahunt partes, oſtendamus. *Principatu*, narrat ille, [55] *Seruiae a patre ad duos fratres deuoluto, alter, ſumta populi parte dimidia, ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugit: qui, eo excepto, locum ad inhabitandum dedit in Theſſalonicae Themate, qui ex eo tempore Seruia nuncupatur; aliquanto vero poſt viſum eſt Seruiis in terram ſuam redire; et dimiſit illos quoque Imperator; ſed quum traieciſſent Danubium flumen, poenitentia ducti, per Praetorem, qui tunc temporis Belgradum adminiſtrabat, ab Heraclio Imperatore petierunt, aliam ſibi terram ad inhabitandum aſſignare vellet.* Itaque Seruii vt in terram ſuam peruenirent, flumen Danubium ſuperare debebant. Quis vero, niſi geographiae valde imperitus, affirmet, ex Illyrico in Carinthiam proficiſcentibus Danubium occurrere? Igitur neque eorum opinio, qui Chrobatos et Seruios in Carinthia ante emigrationem collocarunt, poteſt tolerari. Solent praeterea aduerſus noſtram opinionem et haec adferri: cum pars illorum Slauorum, aiunt iſti, qui inter Albim et Salam habitarunt, Delmantii, Dalemincii, et Dalmatae dicti ſint, nomen iſtud ſecum e Dalmatia, vbi prius ſederunt, videntur attuliſſe: *Illyrici Prouinciae*, inquit noſter Farlatus, [56] *Dalmatia et Chrobatia cenſebantur, quas itidem prouincias inſederunt Slaui, e quibus deinde pars ſeceſſit, migrauitque in Bohemiam, terraſque finitimas inter Albim et Viſtulam interiectas. Horum autem aliquos fuiſſe exiſtimo, qui ex ea, vnde diſceſſerant, in eam, ad quam venerunt, regionem, Dalmatiae nomen intulerint, praeſertim cum ex indigenis Dalmatis non defuerint,* *quos*

55) De Admin. Imper. cap. 32. 56) Tom. I. Illyr. ſacri pag. 118.

quos vel mutandi soli cupiditas, vel inita cum Slauis affinitas et consuetudo perpulerit, vt se illis Bohemicae migrationis socios adiungerent. Cui, caeterisque doctissimum P. Pray responsum opponimus, qui cum adductum locum recitasset, subiecit: *Eam* 57) *ob rem Dalmatas potius dicendos ex Mss. duobus codicibus, Aurspergensi et Labacensi, vt sunt apud Ludovicum Schönlebium, contendit: obrepsisse igitur errorem Witichindo, qui Dalmantiam scribit, et Chronico Alberstadensi, quod Delmantiam habet. Assemano contra posterius magis probatur. Laudatum enim Farlati locum pertractans; caeterum, inquit, vero propius videtur, Delmantiam, Dalmanciam, Daleminciam, deprauatione vocabuli in Dalmatiam, seu Delmatiam, apud recentiores scriptores migrasse, quam vice versa Dalmatiam in Dalmanciam seu Daleminciam; idque auctoritate Witichindi, tum Chronici Alberstadensis, vetustioris vtique monumenti, quam Aurspergensis, et Labacensis Ms. codex forte sit, nititur euincere. Plane Assemano assentior, quod verisimilius sit, Slauos Dalemincios ex ea plaga, quae ad Vistulam est, quam ex Dalmatia in Misniam venisse, et forte Vinidorum Slauorum partem fuisse; nam hi quidem Misniam olim quoque colebant, vt in secunda Annalium parte a nobis commonstratum est. Caeterum, quod a neutro obseruatum fuisse miror, Daleminciorum nomen Germanis suam originem debet. Witichindus enim, vbi Henrici, nondum Germaniae Regis, expeditionem viuo Ottone patre Saxonum Duce in finitimos Slauos susceptam describit, ita diserte memorat; Is (Henricus) a patre suo in prouinciam, quam nos Teutonice Daleminc, Slaui autem, Isomaci appellant, cum magno exercitu missus, deuastata eadem atque incensa, victor rediit.*

 Restat

57) Annal. Tom. I. Part. III. pag. 354.

Reſtat iam, vt Crubiſichii quoque de Serbis ſententiam, nullo veterum recentiorumue teſtimonio nixam, ceu nouam argumentis configamus. Enimuero credit ille, Getas, quos eosdem cum Gothis eſſe defendit, Slauos fuiſſe, Zarabosque appellatos, atque ab his Sorabos demum ortos. Ita enim ſcripſit:[58] *Hi autem Getae olim Zarabi vocabantur: Ita Iornandes primum Zarabos Tereos, deinde vocatos Pileatos; a quo nomine poſtea Sorabi et Serbi dicti ſunt. Zaraba enim, vel Zarapa Slauonica vox eſt, et calceamenti ex filo facti genus deſignat.* Argumenta, quibus Getas Slauos eſſe, viſus ſibi eſt demonſtrauiſſe, adeo tenuia ſunt, vt, ſi modicam vocis Bellagines,[59] qua Gothi, teſte Iornande,[60] leges appellabant, quam cum Slauica Vladiane habet, tollas ſimilitudinem, atque, quos adduxit, Graecorum ſcriptorum verba explices, totum id, quod iis firmauit, proruas, et proturbes. Verum cum haec referre, noſtra nihil interſit, (quem enim nunc reperias, qui, Gothos Slauici generis fuiſſe, cum Crubiſichio aliisque rerum Slauicarum imperitis adſtruat?) ad reliqua nos conuertamus. Aio itaque, Crubiſichium aut non intellexiſſe Iornandem, aut mala fide verba eius corrupiſſe. Locus enim Iornandis is eſt:[61] *Vnde et pene omnibus barbaris Gothi ſapientiores ſemper exſtiterunt, Graecisque*

58) In Diſquiſit. in origin. Alphab. Glagolit. p. 30.

59) Ad melius penetrandam vim vocis huius opponam notulam, quae in hunc locum editionis a Muratorio factae eſt adiecta: *Garetius notat, Bellaginas Gothicum vocabulum eſſe nemo mihi perſuaſerit, ſed ex Gothico corruptum. Id vero fuiſſe crediderim Vuel-hagen breuitatis cauſſa ita contractum a Wel-behagen, quod ſignificat bene placitum; ita vt bellagines mea quidem ſententia nihil aliud ſint, quam placita Principum. B. Vulcan.*

60) De reb. Goth. cap. 11.

61) De reb. Goth. cap. 5.

cisque pene conſimiles, *vt refert Dio*, *qui hiſtorias eorum*, *annalesque Graeco ſtylo compoſuit. Qui dixit primum Zarabos Tereos; deinde vocitatos Pileatos hos*, *qui inter eos generoſi exſtabant: ex quibus eis et Reges*, *et ſacerdotes ordinabantur.* Ex quibus patet, non omnibus, ſed generoſioribus tantum, et Regibus, atque ſacerdotibus id nomen fuiſſe attributum; et de ſacerdotibus clare iſtud alio loco iterum affirmat, atque cur nomen illud eis ſit, edocet: *Elegit namque*, inquit, [62] *Diceneus ex eis tunc nobiliſſimos prudentiores viros*, *quos Theologiam inſtruens*, *numina quaedam et ſacella venerari ſuaſit*, *fecitque ſacerdotes*, *nomen illis Pileatorum contradens*, *vt reor*, *quia capitibus opertis tiaris*, *quos pileos alio nomine nuncupamus*, *litabant: reliquam vero gentem capillatos dicere iuſſit*, *quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes*, *adhuc hodie ſuis cantionibus reminiſcuntur.* Cum itaque vox Zarabi *pileatos*, Slauicum vero *Zarapa* calceamenti ex filo facti genus deſignet; inde Sorabi appellari non potuere. Vnde vero hoc nomen eis adhaeſerit, iam ante nos alii demonſtrarunt. Huc accedit, quod in exemplari, a Muratorio ex codice Ambroſiano exſcripto, et luce publica donato, hic locus aliter legatur, atque pro Zarabi Terei vox Taraboſtes occurrat: *vt refert Dio — qui dixit primum Taraboſtes*, *deinde vocatos Pileatos.* Cum haec igitur, quae Crubiſichius de Serbis attulerat, pugnent cum teſtimoniis veterum, nullamque ſimilitudinem veri habeant: neminem credimus futurum, qui opinionem eius ſequi velit et amplecti.

Nunc quid de Wilzis alii, nosque ſentiamus, proferamus. Sedes illos ad Viſtulam habuiſſe, aſſerit Altingus,

62) Ib. cap. 11.

gus. [63] Conſtat enim, eos ad mare Balthicum, atque prope Viadrum ſediſſe. Primum ex Saxone Poeta liquet, qui de illis haec cecinit. [64]

Gens eſt Slauorum, Wilci cognomine dicta,
Proxima littoribus quae poſſidet arua ſupremis,
Iungit vbi Oceano proprios Germania fines etc. [65]

Alterum ex Helmoldo, [66] *Alter*, inquit, *fluuius*, id eſt, *Odora vergens in Bonam, tranſit per medios Vinulorum populos, diuidens Pomeranos a Wilzis.* Et paucis interiectis: *Altera inſula longe maior eſt contra Wilzos poſita, quam incolunt Rani, qui et Rugiani, gens fortiſſima Slauorum.* Ex cuius inſulae ſitu facile Wilzorum ſedes determinantur. Qui vero populi, et quamobrem hoc nomine ſint compellati, eodem loco nos edocet: *Kyzini*, ait, *et Circipani cis Panim Tolenzi, et Rhedari trans Panim habitant. Hi quatuor populi a Fortitudine Wilzi, ſeu Lutici appellantur.* Et fortaſſis iidem ſunt cum illis, quos Ptolomaeus [67] *Veltas*, ſinusque Venedici incolas dicit: *Venedici ſinus*, inquit, *reliquum iuxta Oceanum habitant Veltae.* Quod tamen, ſi quis contra dicat, defendere nolim, cum praeter ſimilitudinem nominis, atque ſitum pene eundem, nihil aliud habeam, cui innitar. Sed de illorum migrationibus variant auctorum ſententiae: credunt nonnulli, eos cum caeteris Slauis Bohemiae et Poloniae ex Illyrico in has oras emigraſſe, ſed ſi vere, oſtendimus.

63) In Deſcript. Agri Batavi et Friſii Part. II. p. 207.

64) Lib. II. apud du Cheſne Hiſt. Franc. ſcript. Tom. II. pag. 152.

65) Ibidem adnotat Reiner. Reineccius: *Iidem qui Germanica lingua hodie Wenden, nec diſcernendi ab iis Winidae apud Iornandem.*

66) Chron. Slau. Lib. 3. cap. 2.

67) Geogr. Lib. III. cap. 5.

mus. Alii contra, Wilzos, cum sedes, quas ad Balthicum habebant, deseruissent, primum in Batauiam, non tamen vna migratione, et demum Westphaliam concessisse affirmant. Ioannes de Beka refert, [68] in Batauiam eos penetrasse, ibique euersa vrbe Antonina aliam anno Christi 200 aedificasse, et Viltenburch nominasse. *Demum vero*, prosequitur, *post longa tempora Vilti cum Frisonibus conspirarunt Rheni gurgitem transire, ac in manu forti totam Galliam expugnare. Valentinianus autem, vt Romana canit historia, XLVIII a Iulio Caesare Augustus, tumultum tam insultae plebis festina relatione praeripiens, coadunauit etiam valentem exercitum, accelerauitque rebellantem sibi disturbare populum. Et ecce Romanus Imperator rebelle vulgus victoriose subegit; classem magnam apprehendens Rheni fluenta transcendit, castrum Viltorum euertit, Phrisiam primo subiecit, et exinde cum triumphali laude rediens, aliquantis annis gloriosius imperauit.* Ex quo idem habent Ioan. de Leidis, et Reinerus; Snoius, atque, paucis exceptis, omnes scriptores Bataui et Frisii idem tradunt. Quae de Traiecti initiis referuntur, Wilhelmus Heda [69] falsa esse, atque illud diu ante haec stetisse tempora, opinatur. *Diuus enim*, ait, *Antoninus in suo itinerario meminit Traiecti:* et alio loco: *Quodsi sub Rege Dagoberto hoc nomen fuisset assecutum, iam non Traiectum vetus* (nam illa aetate sic audiebat) *sed nouum dicendum foret.* [70] Huc etiam referri potest Vorburgius, qui cum Ioannis de Leidis narrationem de Wilzis retulisset, addit: *Wiltos et Slauos anno Domini ducentesimo Antoninam Ciuitatem expugnasse, nomen*

68) In Chronic. pag. 2. et 3. pag. 203.

69) Histor. Ep. Traiect. cap. 3. 70) Ibid. cap. 4.

men Latinum in Teutonicum mutasse, et sedes fixisse, quid combinatu difficilius. 71) Vltraiectum vero putat Heda dictum propterea, quod ab Vlpio Traiano Augusto fuerit restauratum; *Quare,* concludit, 72) *Traiectum Vlpium potius, quam Viltorum dixerim. Viltos enim, qui et Slaui, seu Veletabi dicuntur, vna cum Saxonibus incursiones illic fecisse non abnegamus, sed pedem fixisse inficiamur.*

De eorundem porro in Westphaliam incursione multis agit Neuwaldus: *Haec itaque,* scribit inter caetera, 73) *tanta diuersarum gentium* (Slauicarum) *multitudo, vbi antiqua illa Germania ad Albim vsque potita esset, trans Albim etiam in Saxoniam suas deducere colonias molita est. Quae res primum non processit, fortiter Carolo Magno eiusque aliquot posteris ipsos propulsantibus, ad extremum tamen non tantum in Saxoniam eorum agmina infusa, verum etiam pubes in Westphaliam penetrauit, Saxoniae bonam partem eos tenuisse nemini ignotum est, et satis testantur reliquiae, passim in agris Luneburgensis ditionis, et Marchione dispersae, Vendorum nomine in hunc vsque diem nuncupatae. Westphaliae etiam agros ab iisdem cultos, partium nostrarum est, cum ad institutum pertineat, vt diligentius exquiramus ac comprobemus. Initio vero non in eius meditullia irrupisse, sed in ora ad ripam Visurgis, quo haec a Saxonia discriminabatur, consedisse, argumento est, quod in Comitatu Lippiensi pagus Vendorum prope dictum limitem iacet. Qui tametsi linguam diuturna consuetudine vernaculam mutarint, vsitataque nostratibus vtantur, aliquid tamen innatae illius feritatis et barba-*

71) Hist. Pol. VII. pag. 57.
72) Loc. cit. cap. 4.
73) De Antiq. Westphal. Col. cap. 17. pag. 69.

barbariei, de qua Bonifacius Moguntiacus Episcopus, cum ait: Vendos foedissimum genus hominum repraesentant. Tantam praeterea nobilium Vendorum ait in hoc Comitatu fuisse amplitudinem et potestatem, vt Lemgouiae, et via, et porta nomen ab illis obtinuerint; et portam quidem in hodiernum diem Slauorum (portam die Sclaues-Porte) appellari. Equidem a Vilzis, quod vehementi odio Germanorum laborarent, Frisios, Batauos, Saxones, aliasque additas nationes fuisse infestatas, negare non ausim, cum id, praeter recentiores, veteres etiam, Eginhardus, Regino, Monachus Engolimensis, aliique scriptores anonymi [74] testatum reliquerint; quae tamen seculo octauo, et subsequentibus contigisse, minime vero ante eam aetatem, qua Slauorum nomen nondum audiebatur, illique sedes suas tranquille tenebant, defendimus. iuuat verba illorum referre. *Slaui,* narrat Regino ad annum 789, *quos Vendos et Wilzios appellant, vastant Magdeburgum, et vicina loca; ideo Carolus, per Saxoniam et Albim veniens, ponte constructo, in Wilzios mouet, quibus auxilio venerunt Frisones per Hauelam fluuium, Slaui victi se dedunt, et obsides offerunt.* Eginhardus vero ad annum 808. *Quia nunciabatur,* inquit, *Godofredum Regem Danorum in Abotritos cum exercitu traiecisse: Carolum filium suum ad Albiam cum valida Francorum et Saxonum manu misit, iubens, vesano Regi resistere, si Saxoniae terminos aggredi tentaret. — Erant cum Godofredo in expeditione praedicta Slaui, qui dicuntur Wilzi. Qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abotritis habere solebant, sponte se eius copiis coniunxerunt,*

74) Apud Du Fresne script. Hist. Franc. Tom. II.

runt, ipsoque in regnum suum reuertente, cum praeda, quam in Abotritis cepere, et ipsi domum regressi sunt. Ad annum vero 810 haec habet: *Imperator, Aquisgrani adhuc agens, et contra Godofredum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit, ducentarum nauium classem de Nordmannia Frisiam appulisse, omnesque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas, iamque exercitum illum in continenti esse, ternaque praelia cum Frisonibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, et vectigalis nomine centum argenti a Frisonibus esse solutas, Regem Godofredum domi esse — Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit* (Imperator), *castrisque iuxta confluentem eius, quo Wisarae fluuio coniungitur, positis, minatum Godofredi Regis praestolatur aduentum. Nam Rex ille, vanissima spe victoriae inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed dum Imperator memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum nuncii ad eum venerunt: nam et classem, quae Frisiam vastabat, domum regressam, et Godofredum Regem a quodam satellite suo interfectum, castellumque vocabulo Hochbocki, Albiae flumini appositum, a Wilzis captum.* Quod tamen anno sequenti deuastatum deseruerunt. Nam vt idem Auctor ad annum 811 refert: *Imperator pace cum Hemmingo firmata — in tres partes regni sui totidem misit exercitus. Vnum trans Albiam in Linones, qui et ipsos vastauit, et castellum Hochboki, superiori anno a Wilzis destructum, in ripa Albiae fluminis restaurauit.* Quare si haec legerat, (et legere debebat) Altingus; miror, cur Slauos in Saxones nunquam incurrisse asseruerit? An vero sit in eo reprehendendus, quod illos, qui Bekae opinionem de exstructo a Wilzis Wiltenburgo sequuntur, rideat, nolim affirmare, cum multa sint, quae

pro

pro Bekae ſententia decertent. Quanquam ſunt etiam nonnulli, qui Wiltenburgum non quidem a Wiltis ſeu Wilzis exſtructum eſſe, ſed a loco, in quo olim fortaſſis Viltzi aut longiori tempore ſederint, aut caſtra tantum metati fuerint, dicant nomen traxiſſe. Noſtra opinio eſt, ſcriptores illos, cum Wilzos quondam Batauiae et Weſtphaliae fuiſſe incolas, atque caſtellum aliquod expugnaſſe et euertiſſe, traditione accepiſſent, neſcirentque, cui haec aetati atque loco conuenirent, vt tanto nobiliores ſuos facerent, pugnas cum Romanis, atque euerſionem Antoninae confinxiſſe. Sed his, cum ſint tenebris aliquantum obuoluta, diutius immorari nolumus.

Vnum adhuc ſupereſt: num Wilzi in Illyricum quoque ſint profecti, quod ſentire quosdam dicebamus, interque illos Altingum numeramus. *Slauos*, inquit, 75) *et in his Vilzos forte maxime ad Viſtulam conſediſſe, atque in Pannonias, Illyricum, et Iſtriam ſeſe effudiſſe ſatis conſtat.* At vnde? quis vetuſtus ſcriptor iſta de Wilzis prodidit? enimuero, quantum reſcire potuimus, nullus. Neque tamen, quin id fieri potuerit, repugnamus, cum Obotritos quoque in Dacia habitaſſe, ex Einhardo intelligamus. *Caeterum*, ſcribit ad annum 824, *Legatos Abotritorum, qui vulgo Predenecenti vocantur, et contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui et ipſi ad-*

 uentare

75) Loc. cit. pag. 207.

uentare nunciabantur, *illico venire* (Imperator) *permiſit.* Accidere enim facile poterat, vt Wilzos audientes, Serbos Chrobatosque et benigne ab Imperatore acceptos, et ſedes nouas obtinuiſſe, loci mutandi nouarumque deſiderium regionum caperet, ſeque Serbis, qui ſerius regiones habitatas reliquerunt, ſocios itineris adiungerent.

QVAE

QVAE FVIT GENS
ADRIAM ACCOLENS
NEMPE VENETI

QVAM

POLYBIVS, STRABO, LIVIVS

MEMORANT

NEC LATINO, NEC GRAECO, NEC GALLICO

SERMONE VSAM FVISSE

PRO ANNO 1772.

DVCIMVR OPINIONIBVS.

Daniel Ehrenfried Springsguth, a Consiliis Aulicis Principi Schwarzburgo-Sondershausiensi.

Quanquam haec dissertatio praemio non fuit ornata, tamen Societas Iablonouia a Celsissimo Fundatore petiit, vt, propter insignem doctrinam, singularem in laudandis auctoribus diligentiam, et Latinitatem plerumque tersiorem, cum caeteris excudi iuberet. Alii auctores Slauorum nomen latius patuisse, quam Venedorum, et Venedos Slauorum speciem fuisse autumant, hic Slauos speciem Venedorum fuisse affirmat.

Hoc etiam anno Celsissimus S. R. I. Princeps IABLONOVIVS, Palatinus Nouogrodens. Spiritus St. Eques auratus etc. hanc inter reliquas eruditis proposuit quaestionem: quaenam fuerit illa gens ad Adriaticum mare degens, quae priscorum scriptorum testimonio nec Latino, nec Graeco, nec Gallico denique sermone sit vsa. Persuaderi mihi facile passus sum, vt aliqua ad hanc quaestionem dilucidandam ex suppellectili mea, quae quam curta sit, non ignoro, in medium afferrem.

Quis enim tanto Principi placendi non summo studio flagret, qui non solum inter doctos seculi huius Viros praestantissimis ingenii dotibus et monumentis tantum caput extulit suum,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

sed qui etiam opes suas, incomparabili plane munificentia, ad excitanda recta ingenia excolendasque bonas artes profundit, idque facit hoc infaustissimo suo tempore, quo ex oppressa vastataque a peregrino et crudeli hoste patria vix tertiam accipit redituum partem. Vera nimirum haec est munificentia, vt aliis prodesse possis, tuis commoditatibus plurima denegare, et malle aliorum vtilitati, quam suis desideriis inseruire. Facit hoc Celsissimus IABLONOVIVS, et vti tempus, studia, ingeniumque in

exco-

excolendis bonis literis, ita opes in iuuandis exornandisque eis collocat.

Lipfia igitur, imo Saxonia, hanc merito fibi gratulatur felicitatem, quod tam eximius Princeps, relicta patria, diffenfionum et armorum ftrepitu concuffa, vt Mufis vacare poffit, e tot regnis et prouinciis, quarum Domini fanguine EI iuncti funt, ipfam potiffimum fibi delegerit tranquillitatis feceffum, quo vt diu et cum voluptate animi fruatur, nosque vt diuturnam hanc felicitatem habeamus, omnium vota confpirant.

Sed euenit mihi, quod Horatio, qui de Diis et Heroibus incipiens amores fuos canit; de gente enim Adriatica loqui volens, in merita optimi Principis excurro.

Condonabunt mihi hoc omnes, qui IABLONOVIVM huius feculi Maecenatem nofcunt, vel fcripta eius legerunt.

Ad explicandam autem hanc de gente, ad mare Adriaticum habitante, quaeftionem, opus eft, vt fcriptores antiquos, qui eius mentionem fecerunt, euoluamus.

Polybius edit. Erneft. pag. 170. 179 — 80 de iis haec narrat: „Quod fupereft deinde fpatium ad Adriaticum finum, alius populus longe antiquiffimus obtinebat, „Venetos vocant: fermone diuerfo a Gallis vtentes; cetera moribus et cultu fimiles. De his multam tragici „poëtae mentionem fecerunt, multaque fabulantur."

Facit hoc loco Polybius Venetos diuerfam ab Etrufcis gentem, qui tunc maximam earum regionum partem obtinebant, diuerfam etiam a Celtis, fiue Gallis, alioque fermone vtentem, antiquiffimam tamen.

Per fabulas tragicorum poëtarum innuere eum crediderim ea, quae de Medea narrantur; quia Pola, aliaque loca in Iftria condita credebantur ab iis, qui ad perfequendam

quendam eam ab Aeeta miſſi erant, vti Strabo, aliique tradunt.

De eadem gente etiam Liuius L. I. c. 1. eiusque origine ita tradit: „Caſibus variis Antenorem cum multitu-„dine Henetum, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, et ſe-„des et ducem, Rege Pylaemene ad Troiam amiſſo, „quaerebant, veniſſe in intimum maris Adriatici ſinum; „Euganeisque inde pulſis, qui inter mare Alpesque in-„colebant, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras. — „Gens vniuerſa Heneti appellati.“

Patet ex hoc loco, aliam Venetorum ſiue Enetorum, aliam Troianorum fuiſſe gentem, ſine dubio etiam ſermone diuerſo vſam, vti ex Polybio, et ex iis, quae iam dicenda ſunt, diſcimus.

Legantur quoque quae	Strabo	L. XII. et
	Scymnus Chius	IV.
	Curtius	l. III.
	Solinus	c. 44.

hac de gente nobis reliquerunt.

His praemiſſis, circumſpiciendum nobis erit, annon erui poſſit, quo tandem ſermone gens illa priſcis temporibus ſit vſa. Cum autem litterarum monumentis careamus; hoc vnicum nobis ſupereſt, vt ex appellationibus oppidorum, montium, fluuiorum, ad quos haec gens habitauit, ex ipſius denique gentis denominatione, vel Principum eius nominibus, coniecturam hac de re faciamus, quae certitudinem quandam adipiſcitur; ſi multa loca, in eadem regione ſita, ſimul nullam aliam ſignificationem admittant, quam quae in vna eademque lingua inuenitur, in reliquis autem linguis plane nihil exprimant, et in nullo vſu ſint. Sic e. g. Roma, Neapolis originem Graecam oſtendunt; ſic apud nos Lipſia, Belgora, Lom-

 matium

matium conditores ſuos Venedos vel Slauos fuiſſe demonſtrant. Hoc igitur ſi in gente, ſinum Adriaticum incolente, effici etiam poſſit, vt nomina vrbium, fluuiorum, et montium, ſignificationem in lingua quadam cognita habeant: tunc ad gentem ipſam concludere poſſumus, eiusque prima initia.

Gentem hanc Venetam fuiſſe appellatam a Latinis, Enetam a Graecis, omnes ſciunt; quam a voce Chaldaea anati (vagari) Melanchthon et Bodinus deriuant, quaſi dicas Nomades. Celſiſſimus autem IABLONOVIVS in Imper. Sarmatarum Norimberg. 1748. et in Diſſertatione de Lecho et Czecho oſtendit, a voce Sarmatica Venda (hamus) ita eſſe appellatam. Hinc forſitan antiqua traditio orta eſt, Venetiam a piſcatoribus eſſe conditam, vel potius vera haec eſt eius origo, quia gens Venedica, ad littus maris habitans, e piſcatione victum ſuum quaeſiuerit. Plurimi etiam tradiderunt, eam Celtarum fuiſſe ſobolem, vti fuſius Eccardus in Originibus, Celticoque ſiue Gallico vſam fuiſſe ſermone; quem tamen Plinius L. XXVI. c. 26. monſtrat, diuerſum fuiſſe a Venetico.

„Cum, Halus, ait, (herbae ſpecies) quem Galli „ſic vocant, Veneti Cotoneam appellant;“ notandumque hic eſt, herbam, quae folia quaſi lanugine obducta habet, a Venedis noſtrae aetatis ſiue Slauis Kotowki vel Kotki, Herbariis Tribulus Virgilii et Plinii nap. p. 310 appellari, vti a Viro harum rerum peritiſſimo accepi. Vidimus etiam iam Polybium, Liuiumque gentem Venetam diuerſam ſermone a Gallis declarauiſſe.

Priſci ſcriptores fere omnes hanc gentem ex Paphlagonia deducunt; notum eſt illud Virgilii:

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis
Illyrios penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum et fontem ſuperare Timaui.

Cuius

Cuius ſententiae etiam CorneliumNepotem fuiſſe,Plinius L. VI. c. 2. teſtatur. „Quo loca (ſc. ad Cromnam in Paphlago-„nia) Henetos adiicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia „cognomines eorum Venetos ortos, credi poſtulat.“

Sunt, qui Germaniae populos eo pertinuiſſe contendant, vti Cluuerius Germ. Ant. facit, aliique, qui nimio erga patriam ſtudio prouincias facili victoria occupant, de quibus occupandis progenitores ne cogitauere quidem, cum omnes antiqui ſcriptores conſentiant, Danubium fuiſſe Germaniae limitem verſus meridiem. Sunt tandem, qui ſuſpicentur, Venetos eandem fuiſſe gentem cum Vendis ſiue Vindis (Wenden), qui iam late dominantur, vti Schoenlebenius in Carniola, aliique. Inter tam pugnantes ſententias vt aliquid certi ſtatuamus, videndum erit, an ex locorum nominibus, vti iam ex herbae Cotoneae appellatione, ad linguam gentis gentemque ipſam aliquid concludi poſſit.

Locus eſt apud Conſtantinum Porphyrogennetam de Adminiſtratione Imperii. c. 27. p. 84. „Sciendum, „quod Veneti antequam traiicerent, inhabitarentque in-„ſulas, quas nunc inhabitant, Henetici nuncupabantur, „et incolebant in continenti has vrbes: Concordiam, Iu-„ſtiniana, Nunum, et reliquas plerasque. Sciendum, Ve-„netos nunc appellatos, qui olim Henetici dicebantur, „cum traieciſſent, munitam in primis vrbem condidiſſe, in „qua hodie habitat Dux Venetiarum, mari vndique cin-„ctam ſpatio circiter ſex milliarium, quod influunt flumi-„na XXVII. Sunt etiam inſulae verſus orientem vrbis, „in quibus Veneti nunc appellati oppida aedificarunt, pu-„ta *Cogradum*, vbi Metropolis magna eſt, *Rhibalenſes*, Lu-„lianum, Apſanum, Rhomatina, Licentia, *Pineta* ſiue

„Strobilus, Biniola, *Boës*, Elitualba, Litumancerſes, *Bro-*
„*nium* Madaucum, Hebola, *Priſtena* Clugia, Brundum,
„Phoſaon Lauriton.“

„Sciendum, etiam alias eſſe inſulas in Venetorum „regione. Sciendum, etiam in terra firma Italiae regione „etiam vrbes has Venetorum exiſtere. Videlicet Capre, „Neocaſtrum, Phines Aeculum, Aimanas magnum em„porium Tortzelorum, *Muran Rhibantum*, in quo reſidet „Dux Venetiarum, et Cabertzentza.“

Quis non ſtatim in voce *Cogradum* linguam Venedicam agnoſcit, eam dico, quam nunc Slauicam vocamus, et quae non ſolum iisdem adhuc in regionibus, ſed per totam etiam Illyriam, Bohemiam, Poloniam, Moskouiam in vſu eſt?

Grad vel Grod, vbiuis locorum occurrens, apud Venedos caſtrum vel locum iudicii ſignificat; an vero ſub vocula Co non lateat Coni, id eſt equus, iam non diſquiro.

Rhibalenſes in eadem lingua exprimit Piſcatores vel locum piſcationis. Rhiba enim piſcem indicat.

Bronium, noſtris Venedis Brony, propugnaculum ſignificat.

Priſtena etiam apud Slauos pauſam vel locum commorationis exprimit, ſiue portum.

Pineta, quod a Venedis Pinecz ſcribitur, pecuniam, vel monetam indigitat.

Boës, rectius Boii ſcribendum, pugnam vel certamen exprimit.

Rhibantum etiam a Rhiba piſce potius, et ex lingua Venedica deriuandum eſſe, quiuis mecum iudicabit.

Omittam reliqua, quae tam manifeſtam ſignificationem in Venedica h. e. Slauica lingua non habent, ſiue ob

ſcriptio-

ſcriptionis vitium, ſiue etiam, quod aliae gentes inter eos habitauerint.

Vrbes enim, quas Veneti, vti Porphyrogenneta dicit, Henetici antea dicti, in continenti habitabant, Concordia et Iuſtiniana, a Latinis ita eſſe nominatas, deductis forſitan eo coloniis, ſtatim agnoſcimus.

Patet ex hoc Porphyrogennetae loco, Venetos Adriae accolas et Venetiarum conditores tempore Attilae, eodem ſermone eſſe vſos, quo nunc gentes Slaui dictae vtuntur. An vero antiquioribus quoque temporibus haec lingua apud gentes, quae littora maris Adriatici per Illyricum incolebant, in vſu fuerit, iam diſpiciamus.

Liuius L. XLIV. c. 26. loci cuiusdam, Bylazora dicti, mentionem facit in bello, quod Romani contra Perſen, Macedoniae regem, geſſerunt, quae vox etiam apud noſtros Venedos vel montem Album, vel Lacum album accurate exprimit, et cuius nominis vrbs in Miſnia a Slauis condita, nempe Belgorau, etiam nunc ſupereſt.

Dolci in diſſert: de ſermone Illyrico multarum gentium antiquarum nomina ex hoc ſermone Venedico eſſe explicanda perſpicue docet, quod etiam facit Orbini in Regno Dalmatiae.

Sic enim *Daurifii*, a voce Slauica Dagorci, ſignificat eos, qui ad radices montium habitant, a voce Da, ſub vel prope, et Gorci, hoc eſt montes.

Docleates putat Dolcius deriuandos eſſe a Diklici, quod Venedis eſt longinquus vel remotus.

Deredini, idem ſcriptor putat, ſcribendum eſſe Derefciani, et ſignificare deſtructores aedium, a voce Dere, deſtruere, et Sciana, paries.

Siculotae descendunt a voce Sieckoczi *vel* Siekoczi, quod indicat secantes.

Grabaei, rectius Grabgliani dicendi, fossores indicat, vel etiam hamos rastratos.

Melita, huius maris insula, significat locum molendinorum a mliet, quod nunc etiam Slauis molendinum est.

Apud Strabonem in eisdem regionibus occurrit emporium Dalmatarum, Salo dictum.

Vox autem Salo nunc quoque pagum significat vel vicum, et Delminium ipsum, a quo Dalmatae nomen habent, e lingua Slauica explicandum est, cuius nominis Soraborum pagus in Misnia posterioribus temporibus inter Muldam et Albim fuit, nempe Delminzi.

Ptolomaeus duorum locorum L II. meminit, in hoc terrarum tractu sitorum. Quorum vnus *Crepsa*, in aliis exemplis *Gripsa*, apud Slauos rapina est; alter Curieta vel *Koritta* in eadem lingua alueum, vel etiam vrbem, in maris alueo sitam, indicat.

Nota est prisca vrbs *Salona*, quam Appianus de bello Illyrico *Slanum* appellat, h. e. Salinas; cuius vocis vrbs in Bohemia est, etiam ob Salinas a Slauis ita vocata, de qua Aemilius Petrascus in Epitome historiae p. 12. ait; sub annum 715. Slana mons in Bohemia, ad cuius pedem salsa aqua detecta, occasionem et incunabula vrbi Slanae dedit.

Maximum adhuc apud me momentum habet proximitas Carniae, cuius nomen sine dubio a voce Slauica *Kraina*, quae limitem indicat, deriuandum est, vt de Rhaetis, quos Dionysius L. IV. p. 24. ait, se suo sermone Rhasenas, id est plenos, vel abundantes appellasse, et Vindelicis eorum vicinis iam taceam.

Non

Non possum tamen mihi temperare, quin verba celeberrimi Schloetzeri e Tom. XXXI. p. 231. historiae vniuers. adducam:

„Nomen (Krain) Carnia pure Slauicum est, et significationem habet, optime cum situ regionis conuenientem; probabile enim est, Carniam, antiquum nomen, et „iam tempore Romanorum vsitatum, idem exprimere, „quod Craina. Nonne igitur summa adest probabilitas, „linguam Slauonicam iam Romanorum tempore ibi fuisse „in vsu, et Venetos non 548 anno post Christum natum „demum huc immigrasse, sed veros Carnos semper fuisse? Adde quod tota haec regio montana sit. Semper „autem priscae linguae et priscae gentes in montibus se „conseruauerunt, vti Cimerii in Wallisia, Arnautae in „Epiro. Caeterum hi Austriaci Kraini in Germania meridionali idem sunt, quod Brandenburgici Vcri in septentrionali: vtrique sunt Slaui limigantes, vtrique inde „nomen acceperunt. Veneti ad mare Adriaticum a longissimo tempore semper Slaui vel Wendi crediti fuerunt, „sed nullo alio argumento, quam propter similitudinem „nominis."

„Si autem Carni, proximi eorum vicini, antiquissimis „temporibus iam Slaui fuerunt; tunc coniectura non solum „vires, sed veritatem etiam acquirit."

„Totus terrarum tractus a mari Adriatico recta linea „vsque ad mare Balthicum a Slauis habitatur, a parte occidentali Carniam Veneti, a parte orientali Illyrii eam „attingunt. His adiunge."

„I. Veterem traditionem, quod Illyricum prima sedes et vera patria Slauorum fuerit."

„II.

„II. Narrationem Neſtoris, vndecunque eam hauſe„rit, quod Slaui priſcis temporibus Norici fuerint appel„lati.“

„III. Memorabilem locum apud Conſtantinum Por„phyrogennetam de Adminiſtratione Imperii. c. 30. ſeq. „Vbi Conſtantinus Slauos Dalmaticos e Norico deducit.“

His ego addo, quod Noricorum etiam nomen originem linguamque Venedicam, noſtra aetate Slauicam dictam, clare, niſi me omnia fallunt, oſtendit. Qui enim in montibus habitant, a Venedis *na hory* habitare dicuntur. Ex quo Romanorum Nori, et Noricum ſine omni dubio fuit formatum.

Tot gentium, tot vrbium nomina in lingua Venetica ſiue Slauica, tam claram conuenientemque ſignificationem habentia, quam praeter hanc in nulla alia habent, nonne nobis perſuadebunt, gentem non ſolum Venetam Adriae accolam, ſed reliquas etiam Illyrici gentes originis Heneticae, ſecundum Porphyrogennetam, vel Venedicae, vti nos dicimus, fuiſſe; Slauorum enim nomen poſterioribus temporibus in vſu eſſe coepit. Adducemus tamen hiſtoricorum etiam de hac gente teſtimonia, vt oſtendamus, eam antiquiſſima aetate, et, vt dicunt, ab immemoriali quaſi tempore has ſedes obtinuiſſe.

Herodotus memorat, legem apud Venetos in vſu fuiſſe, ſecundum quam pulcriores puellae ſponſis diuitibus publica ſectione, quaſi ſub haſta, ſat magno pretio venderentur, vt deformes pauperibus cum dote, ex hac venditione contracta, facilius poſſent nubere; quae lex vt etiam apud nos inualeſcat, optandum eſt.

Appianus in bello Mithridatico ait, Sullam contra Venetos e Macedonia expeditionem feciſſe, quia hae gentes

tes saepius eo tempore in Macedoniam incursiones fecissent.

Scymnus Chius v. 371. ait, Venetos maris Adriae accolas quinquaginta vrbes habitare, gentemque esse numerosissimam.

Verba eius sunt: „Sinum dicunt Adriaticum barbarorum multitudinem quandam circumhabitare circulo, „centum fere myriadibus quinquagintaque, regionem „optimam colentes, et fructuosam" — et v. 386. „Henetorum vero sunt quinquaginta vrbes, sitae ad sinum; „quos transgressos esse aiunt ex Paphlagonum regione, „habitasseque circa Adriam."

Sufficiant haec de sermone et antiquitate gentis, quae sinum Adriaticum incolebat, et de cuius origine, et nomine quaestio a Celsissimo Principe IABLONOVIO proposita est.

Si enim Veneti ad mare Adriaticum habitantes antea, teste Porphyrogenneta, Henetici fuerunt appellati; si sermone vsi sunt, quo nunc Slaui, generali nomine Venedi nominandi, vtuntur; si reliquae gentes ab Adria in Graeciam vsque, et forsitan per omnes regiones inter Illyricum et Scythiam iacentes sub Sarmatarum nomine, eodem sermone vsi sunt: quis mecum non faciet, vt putet, eos cum Herodoti Henetis vnum eundemque populum fuisse, et ab antiquissimis temporibus has terras incoluisse, quocunque tandem duce et quacunque via in eas penetrauerint, h. e. fuisse eandem gentem, quae recentioribus temporibus, nomen Slauorum, quamcunque etiam ob causam assumserit, et per immensa terrarum spatia nunc diffusa sit.

Hae rationes Carionem adegerunt, vt in Chronico L. IV. p. 112. diceret: „Henetorum meminit Homerus

O „in

„in vicinia Paphlagonum, quos Henetum ducem in Tro-„iano exercitu habuiſſe prodidit; et ſinus Veneti atque „vrbis Venetae in mari Adriatico ab his originem eſſe, „conſentiunt omnes, ſiue Antenore, ſiue quocunque „alio duce eo appulerunt, ſicuti iidem ſinui Veneto in „Suecico mari ſupra Poruſſiam cognomen dederunt. Nec „alia Henetorum, alia Venetorum ſiue Vendorum (Wen-„den) appellatio eſt.“

Haec fere ſunt, quibus credidi demonſtrari poſſe, gentem, de qua quaeritur, ad mare Adriaticum habitantem, Venetam dictam, eandem eſſe cum Venedis noſtris, quae non quinto tandem ſeculo, vti vulgo creditur, e magna Scythia eo immigrauit, ſed iam ab antiquiſſima aetate totum Illyrici tractum obtinuit; et ſi Auſtriam, Carniolam, Noricum, reliquasque Danubium inter Adriamque iacentes prouincias Germaniae annumeraueris, quanquam priſci id non faciebant, Danubium Germaniae limitem ſtatuentes, pro gente ab origine Germaniae haberi poteſt.

Veroſimillimum eſt, Romanos bella, quae cum Vindelicis, Rhaetis, reliquisque Illyrici populis geſſerint, cum Venetis vel Slauis, vti nos eos vocamus, geſſiſſe; qui tamen cum viribus impares montibus ſuis deiecti eſſent (nam oram maritimam diu iam perdiderant, in quam partim Graeci, partim Romani colonias ſuas deduxerunt) in interiora Germaniae, inprimis qua Pannoniae iungebatur ad Viſtulam, Tyran, Danubiumque ſe receperunt; pars Bohemiam, Miſniamque occupauit, pars oram Balthici maris armis ſubegit.

Quo autem hoc factum ſit tempore, accurate definire non audeo. Neſtor certe in Chronico Ruſſico ait apud Mullerum, Slauos a Danubio in Ruſſiam veniſſe. Sunt etiam Slaui in Franconia, quos octauo iam ſeculo ibi habitauiſſe

tauiſſe, non ex monumentis tantum annalibusque conſtat, ſed ex reliquiis etiam eorum, aliisque veſtigiis clarum eſt. Quam gentem crediderim, eodem tempore eo veniſſe, quo reliqui Venedi ex Norico reliquisque prouinciis Romanorum armis expellerentur. Sunt qui credant, eos Norimbergam condidiſſe. Hac de re legantur Programmata aliqua Reinhardi Erlangenſis, et Hanſelmannus in Demonſtratione, quousque Romani in Franconiam Orientalem penetrauerint. Halae Sueuicae. 1768.

Duo ſcriptores, iique grauiſſimi, huic ſententiae repugnant: Liuius enim L. V. c. 33. „Tuſci, ait, coloniis „ſuis omnia trans Padum loca, excepto Venetorum angu„lo, qui ſinum circumcolunt maris, vsque ad Alpes te„nuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo „eſt, maxime Rhaetis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid „ex antiquo, praeter ſonum linguae, nec eum incorru„ptum, retinerent."

Qua data occaſione doctiſſimus aeque ac illuſtriſſimus Scipio Maffaeus idiſſertationem de antiquitatibus Latinis atque Etruſcis conſcripſit, in qua demonſtrare allaborat, linguam Tuſcam ex Canaitica deſcendere. Sed cum eam nanciſci non potuerim, argumenta, quibus vtatur, examinare nequeo, perſuaſus certiora fortioraque eſſe ea, quae ex optimis auctoribus attuli. Nam primo Venetos ipſe Liuius excipit, eosque diuerſos ab iſtis gentibus affirmat: deinde quae de gentibus Alpinis, Rhaetis inprimis tradit, eos praeter ſonum linguae nec eum incorruptum ex antiquo nil retinuiſſe, indicare videntur, eos alio atque Tuſcos ſermone vſos, pronuntiationem tantum Tuſcis ſimilem habuiſſe, ex qua de origine gentis coniecturam facit. Rhaetos enim veroſimillimum eſt eandem cum Noricis, Vindelicis et Carnis fuiſſe gentem, ſcilicet Vene-

 dam;

dam; eiusdemque linguae atque originis; qua de re plura in posterum. Strabo L. I. c. 12. dubitat, an Veneti, Adriam accolentes, non potius deducendi ſint a Venetis, Galliae incolis. Cum autem nullas praeterea rationes adducat, cur hoc ſibi perſuaſerit, ſuperſedendum etiam mihi puto, multis verbis refutare et oſtendere, difficile creditu eſſe, gentem numeroſiſſimam, per totum Illyricum ab hominum memoria diffuſam, a tam paruo populo initia ſua habuiſſe, quem potius ex his regionibus in Galliam migraſſe mihi perſuaſerim.

Caeterum quae Iornandes et Procopius de Slauis tradiderunt, hiſtoriam gentium Venedicarum magis confuderunt, quam vt clariorem reddiderint. Cum enim Slaui pars tantummodo Venedorum fuerint, de quorum origine ipſis nihil certi conſtabat, quorumque linguam ignorabant, omni genti ea adſcripſere, quae tribui tantummodo eius, Slauis, adſcribenda erant, quos interdum non dubitant Gothicis nationibus annumerare.

DIS-

DISSERTATIO
DE
DISTANTIA LOCORVM
SIVE
ACCESSORVM
SIVE INACCESSORVM

CVM
AVT SINE INSTRVMENTIS, GALLICA
ALIISQVE METHODIS INVENIENDA

PRO ANNO 1772.

SCIENTIA DIRIGIT ARTEM.

Per Reverendum Patrem Ioannem Helfenzrieder, S. I. Professorem Matheseos in Vniuersitate Ingolstadiensi.

O 3

SCIENTIA DIRIGAT ARTEM.

Haud quidem quaeſtionis propoſitae mens eſſe videtur, vt ea ſolum, quae hac ſuper re dudum a Gallis, aliisque excogitata, et publici iuris facta ſunt, congerantur. Artis geodaeticae, generi humano vtiliſſimae, augmentum per noua inuenta ſpectare Sereniſſimus ſcientiarum Promotor videtur. Quapropter ſuperſedere aliena transſcribendi vano labore, et Lectores ſcripti huius ea, quae dudum in ipſis Auctoribus legerint, relegendi moleſtia liberare me poſſe, exiſtimo. Indicare tamen ea obiter, ac citare Auctores, quidque de iis ſentiendum, effari, id vero nec a mente Sereniſſimi Principis, nec a quaeſtionis propoſitae inſtituto alienum eſſe, imo poſtulari videtur. Caeterum ſcriptum hoc Geodaeſiae ſcientibus, non tironibus, paratum eſt, quapropter minutias non perſequar; neque enim iis Lectorum patientiam fatigandam exiſtimo.

§. I.

Tria ſunt laboris Geodaetici genera: primum accuratiſſimum, quo hoc primum ſeculo ad figuram Terrae cognoſcendam ſummi Philoſophi, et inter eos primi Galli vſi ſunt; alterum, quo agrum vrbi, aut pago circumſitum, aut partem eius dimetimur, atque in chartam coniicimus; tertium

tertium integrae alicuius regionis mensuram, et descriptionem spectat. In omnibus his tribus generibus offert se perpetuo distantias siue accessas, siue inaccessas metiendi problema. Quidquid ergo eo facit, vt Geodaetae labor in determinanda locorum distantia accuratior, aut expeditior, aut certis in casibus non inanis reddatur, ratione semper habita propositi finis, ad praesentem quaestionem spectat.

§. II.

Atque primum quidem genus quod attinet, vix addi, aut demi quidquam posse videtur iis industriis, quibus Academici Parisini in Gallia, Laponia, et Peruuia etc. et post per Pontificiam ditionem Rogerius Iosephus Boschowichius, et Christophorus Meierus, in eorum opere, quod anno 1755 Romae prodiit, commemoratis, vsi sunt. Baseos tamen dimensio expeditior erit, si impediri penitus ligni mutatio possit; quod quidem Christianus Mayerus Astronomus Palatinus in opere suo, *Basis Palatina*, extimam ligni superficiem porosque obstruendo obtinuisse se ait, testante etiam Cassinio, paris bonitatis, firmitatis, constantiae et magnitudinis tigilla ne in Gallia quidem vnquam occurrisse. Solius tamen caloris variati rationem habendam, haud satis mihi verosimile videtur: certe Boschowichius eodem tempore, quo alia eiusdem tigilli lignei pars mutata tempestate contrahebatur, aliam dilatatam fuisse obseruauit, vt operis sui pag. 366. refert. Et Cassinius in opere *La Meridienne de Paris* pag. 34. pluribus occasionibus notatum asserit, sensibiliter mensuras ligneas effectu humiditatis, et siccitatis mutari. Cui mutationi virgas suas obnoxias fuisse, etiam Bouguerius in opere *la Figure de la Terre* Parisiis edito, pag. 40. testatur.

§. III.

§. III.

Tantum curae et industriae in metienda Basi primi trianguli pro mappis solum topographicis, et minoribus dimensionibus vtique non requiritur. Attamen, vbi per siluas traseundum, neque obsistentes arbores sternere licet, cum rectam continuam habere non possimus, in rectarum minorum, ad quas maiorem referimus, positione, et longitudine determinanda plus curae adhibendum est, quam a communibus geodaetis vulgo adhiberi solet, nisi in errores incidere nimis magnos velimus. Siue virgis ligneis, siue catenis ad metiendum vtaris, curandum maxime, vt rectarum parallelismus, et mediae eadem constanter directio seruetur. E. g. perueniatur in producenda recta aliqua (fig. 1.) vsque ad C, vbi arbor A longius producendae obstat, post quam quidem eam a D ad E continuare liceat. Vt DE in eadem directione sit, ac BC, prope lineam BC ducatur alia linea FI parallela lineae BC, et huic FI parallela altera DE, et eiusdem ab ista distantiae, atque prior, nempe oportet esse BF = CG = DH = IK. FI sit satis longa, et quo longiorem ducere licuerit, eo melius erit. At fors arbores *a* et *a* non nimiam longitudinem concedent. Quo haec linea breuior erit, eo maiore cura studendum, vt BF, CG, DH, KI exacte fiant aequales: hic iuuerit scabella adhiberi; quae attolli facile, deprimique queant, humilia tamen, quo minus prospectum arborum rami impediant. Dumeta cum minoribus ramusculis exscindenda esse, aut flectenda, vel me non monente quiuis nouerit. Ponatur super scabellum in F dioptra ocularis, qualem exhibet figura 2. quae nempe crenam in medio habeat basi horizontali verticabiliter insistens. Alia obiectiua (fig. 3.) quae a priore in eo differat, quod magnam habeat aperturam, quam

mediam transit filum tenue, non nimis tamen, vt eminus videri possit, ponatur super scabellum in G, tum tertia obiectiua in H, quarta in I, ita, vt filum medium secundae, oculo post primam posito, tegat fila media tertiae et quartae. Iuuabit vero magis in dioptra secunda et tertia, filum medium non vnum esse, sed geminum, vt inter ambo, relicto exiguo spatio, vltimum comparere possit; iuuabit etiam alternis filorum colorem mutari, sic fila adhibere crassiora licebit, quae facilius cernantur, et admodum facile, cum nullum ab altero penitus obtegatur, videbimus, num in eadem recta dioptrae hae constitutae sint, quod vbi fuerit, habebimus puncta D et K, quae tantundem a medio dioptrarum in H et I positarum distare debent, quanta est priorum in F et G a linea B C distantia. Haec vbi modica fuerit, tignis aut virgis haud difficulter determinabitur. Per puncta vero D et K ad E producere eam lineam lineae C B in directum sitam licebit, donec nouum in obicem occurrat. Distantias B F, C G, D H, K I expedit esse modicas.

§. IV.

At fieri poterit, vt puncta F et G a linea B C distare longius debeant, eoquod alia propter obstacula satis longa esse F G non possit; tum vero cura habenda est, vt anguli B, C, H, I satis adcurate recti fiant, aut error saltem non sit nimius, quod facile obtinetur ope crucis cuiusdam ligneae, ex ligno probe siccato, quod fibras etiam rectas habeat, regulis duabus decussatis, quae quo longiores, eo meliores sunt, iunctis ad extremitates quatuor aliis regulis circumpositis (Fig. 4.) et quatuor dioptris *a*, *b*, *e*, *d* instructae, per quas ductae visuales lineae *ab*, et *de* ad angulos rectos in *c* se intersecent: id quod examinatum

natum esse antea oportet. Quapropter dioptrarum istarum duas oppositas oportet esse amphidioptras, quae nempe et simul oculares, et simul obiectiuae sint, quod quidem variis methodis obtineri potest: nempe ocularem in vna obiectiuae, in altera obiectiuam oculari imponendo, vel iuxta ponendo, admodum tamen propinque, et parallele: vel denique (fig. 5.) lamella A vertebris iuncta lamellae B, quae posterior dioptra obiectiua est, cum prior sit ocularis, attolli possit, vt eam contegat, et rima oblonga tenuis non cadat quidem in ipsum filum dioptrae B, sed proxime illud transeat. Expedit prominere ex lamella B tenuem cuspidem *m*, quam lamella A foramine *n* excipiat, sic erit minus periculi, ne aliquando luxatis vertebris titubet. Erit rima in vna dioptra prope filum ex parte dextera, in altera ex parte sinistra, vt linea a rima quauis ad oppositum filum ducta una alteri parallela sit. Hoc optimum amphidioptrarum mihi esse genus videtur, ex iis quidem, quae tubis opticis instructae non sunt. Vtrum lineae fiduciae *ab* et *de* (Fig. 4.) per dioptras ductae angulum inter se rectum faciant, id vero sequenti modo examinari poterit. Collimetur per dioptras *de* in obiectum aliquod longe positum M, et videatur num per dioptras *ab* aliud eminus adpareat satis notabile N. Si tale vltro se non offert, facile erit tabulam aliquam nigram cum cruce alba sic suspendi, vt in illud tendat linea fiduciae *ab*, tum vertatur crux circa centrum *c* ita, vt linea *ab* congruat lineae *cM*, vt nempe *M* a filo dioptrae obiectiuae *b* tegatur, oculo post *a* posito; veniet tum *e* in locum, vbi ante fuit *a*, et *d* in locum *b*, tendetque, si quidem tam *McN*, quam *ecb*, et *bcd* recti sint, tum *ed* in N. Quodsi vero *ecb*, qui angulus ante congruebat, cum *McN* sit angulo recto maior, linea fiduciae *ed* non tendet

in *N* sed in obiectum sinisterius *n;* transferri dein oportebit tabulam *N* in *u*, locum medium inter *N* et *n*, situm vero dioptrae vnius (nam vnius saltem situs mutabilis esse debet) mutari oportebit. Ponamus mutabilem esse dioptram *b*, ergo retroacta cruce in pristinum situm, quem figura exhibet, collimetur denuo per *d e* in M, dioptra *b* mutetur, vt tendat *ab* in *u*, tum crux circa centrum *c* vertatur, videaturque, vtrum per dioptras *e d* adpareat *u* dum per dioptras *a b* adparet M ; si fiat, bene est. Secus tamdiu tabulae primo in N, post in *u* positae, et simul dioptrae *b* locus mutandus est, donec denique id obtineatur. Dioptram vnam mutabilem esse debere dixi, obtinebitur id, si per eius pedem D (fig. 6.) foramen transeat oblongum, per quod transmissa cochlea regulae adprimitur, et tenetur. Post pedem hunc lamella E affixa est, ad firmitatem dioptrae. Caeterum regulas ferreas ligneis, tubos opticos dioptris simplicibus meliores esse, sed et opus tum preciosius fore, vtique patet.

§. V.

Non modici vsus esse poterunt duae insuper aliae dioptrae *f* et *g* (fig. 4.) inter priores positae, ita, vt linea *gf* cum *cd* angulum 45° faciat. Angulus hic non multum dissimili modo examinatur, ac rectus, nempe conuersione crucis etc. et si non sit accuratus, corrigitur: hinc alterutram harum dioptrarum iuuerit esse mutabilem. Caeterum parum interest, an linea *gf* transeat centrum *c*, an non, modo angulus, quem cum lineis *a b* et *e d* facit accurate sit 45°. et linea *gf* a puncto *c* non valde distet.

§. VI.

Haud frustra crucem hanc accuratius paulo descripsi, plures enim illius vsus sunt, nos aliquos afferemus. Primo

ponamus

ponamus lineam F G (fig. 1.) longius diſtare debere a *B C*, ponatur crux ſuper B, ita, vt *de* cadat in B C (fig. 1. et 4.) tum eminus erigatur virga quaedam in F, in linea fiduciae dioptrarum *ab*, eritque angulus C B F 90°. Idem fiat in C, vt et angulus B C G 90° ſit. Iam ſi lineae B F et C G etiam aequales ſint, erit F G parallela B C; quodſi virga vna e. g. F, longius diſtet a puncto *B*, quam *G* a *C* admoueatur propius, vt aequalem diſtantiam obtineat, in eadem tamen recta ad B perpendiculari. Dixi, virgas in F et G erigi poſſe; vſus virgarum loco aptiores erunt tripodes, quibus dioptrae (fig. 2.) imponantur, quae ſuper tripodum menſas arbitrario loco conſtitui poterunt, obtinerique facilius, vt earum a linea B C aequalis ſit diſtantia, et anguli ad B et C recti. Tripodes autem, ſi humi iaceat catena B C admodum humiles eſſe iuuerit, et ſimili ſuper tripode, ſeu ſcabello ponetur crux in *B* et *C* vt centrum crucis *c* catenae perpendiculariter immineat. Tripodes caetera ſimiles eſſe poterunt iis, quos Boſchouichius in opere ſuperius laudato deſcribit; aut ſi magis placet, ſinguli duobus, prismatis quadrangularis figurae AB et CD (Fig. 7.) ferreis annulis *m* et *n* inter ſe coniunctis componantur, nempe A B menſulae inſertum eſt, C D attolli, aut deprimi magis, minusue poteſt, et cochleis firmari; imo et variis generis crura C D haberi poſſunt, longiora, et breuiora, vt ſcabella modo altiora, modo humiliora, prout vſus tulerit, habeamus; iuuerit etiam tripodes habere cum breuibus omnino pedibus, aliquot ſolum digitos longis, qui in ſolo plano, ſi menſura lineae humi capitur, commodiſſimi erunt. Caeterum in aperto campo ſufficiens eſt baſeos per catenas metienda ratio, quam Pentherus in Praxi Geometriae, et Zollmannus in libro vollſtändige Anleitung zur Geodäſie ſectari iubent.

§. VII.

Iam alium vsum crucis nostrae monstrabo. Si in metienda Basi peruentum fuerit ad fossam profundam BD (fig. 8.), seu ad lacum vltra quem lineam AB producere non licet, ope crucis nostrae in B facies angulum rectum ABC; baculo defixo in C, et tensa catena, aut funiculo BC progredieris in linea BC, donec vltra fossam vel lacum, sub angulo semirecto, ope crucis nostrae cognoscendo, adpareat tibi alia, virga, vltra lacum posita, in linea recta cum BA, eritque, quia angulus BCD semirectus est BC=BD, habebis itaque mensuram BD, licebitque vltra lacum in D lineam continuare.

§. VIII.

Sed vel solo hoc instrumento distantias locorum accessorum, imo et inaccessorum B et E (fig. 9.) metiri licet. Sit ergo metienda distantia AB, loci inaccessi B, ex accesso A. 1mo pone crucem in A, et determinato per crucem angulo BAF recto, duc rectam AF tenso funiculo; iam progredere 2do, cum cruce in hac recta, donec tibi sub angulo semirecto ACB, B occurrat, et erit AC=AB. 3tio, si in eadem recta obserues in D angulum EDF rectum, atque in F semirectum DFE, erit DE=DF, 4to coniectis in tabulam aliquam lineis AB, AD, et DE, ita, vt ex scala geometrica totidem habeant pedes paruos, quot in campo magnos, si in A et D fuerint anguli recti, distantiam inaccessorum B et E circino determinabis.

§. IX.

Sed ad nostram quam reliquimus, rectam per siluam producendam (fig. 1.) BC redeamus. Positis super scabella

bella dioptris in F et G, ita, vt linea FG ſit parallela lineae BC; licebit eam vtique per H in I prolongare; licebit in H et I, ſimiliter ac in B et C fecimus, ope crucis noſtrae, angulos rectos facere; licebit puncta H et K, faciendo HD=GC=IK, determinare; licebit lineam DK vlterius producere. At diſtantiam CD, cui quidem aequalis eſt GH, ſi anguli C, G et H exactiſſime recti ſunt, non ego, ſi aliter fieri poteſt, ex diſtantia GH colligam, ſi linea FI longe diſtet a *BK*, quia minimus error in tali caſu in angulis maiorem infert; ſed prope arborem A ducam paruam parallelam, et in ea, ſicut hic in figura GH=CD determinabo; ad hoc enim parua linea ſufficit, nec parallelifmus adeo exactus requiritur. Directionem vero DK eandem cum BC facere, vtique ope lineae longae FI, accuratius cum BC parallelae, obtineri debet.

§. X.

Vidimus paulo ante crucis noſtrae emolumenta. Similia ſunt alterius cuiusdam inſtrumenti a me excogitati, quod ego Tubum Geodaeticum voco. Ciſtula eſt (fig. 10.) cubica fere, anterius in *db* et in latere *bE* penitus aperta, ex ferreis laminis confecta, ita vt in *b* tenuis ſolum columna ſit, fundum ciſtulae cum aequali ſuperiore quadrato *dbEc* connectens. Sed in lamella *cE* pariter quadrata, rotundum foramen eſt, apertum in tubum conicum *F* ei adhaerentem. Duo in hac ciſtula ſunt ſpecula *a b* et *b c*, plana, vitrea ex vitro tenui; alterum alteri mediante interuallo ſuperpoſitum, ita vt inter ambo proſpectus pateat. Eſt vero in *F* lamella aliqua L quam figura fere in naturali magnitudine exhibet, in qua crena amplior horizontalis eſt, quae tenuiorem, et breuiorem verticalem biſſecat, vt pars ſuperior pro ſuperiore, inferior,

ferior, pro inferiore speculo seruiat. Speculum vnum inferius *cb* cum axe tubi *Fg* angulum semirectum, alterum superius *a b* angulum $22\frac{1}{2}$ graduum, versus obiecta acutum, et eius complementum versus oculum obtusum facit. Est in vtroque speculo, circa medium fere, in amalgamate, quo vestitur vitrum, crena aliqua tenuis, facta tenui acu abraso amalgamate. Iam ita constructo instrumento, si tendo oculo adposito in *F*, in obiectum aliquod, quod mihi in linea *Fg* super crenam speculi *bc*, et aliud M in speculo quasi crena *m* sectum adparet, angulus *MmF* rectus est. Si vero in crena *n* superioris speculi aliud obiectum N adparet, angulus *NnF* semirectus est. Licebit ergo tubo hoc (quem construendi modum describendum alii occasioni reseruo) angulos rectos et semirectos sicut ope crucis obseruare, et determinare. (§. 8. etc.)

§. XI.

Sed et flexus viarum ope tubi huius, vti et crucis, inuenire licet. Sit enim obiectum aliquod C (fig. 11.) in via recta AB, iam ante determinatum (§. 7. 8.) ita, vt *BE* et *EC* notae sint; progrediaris dein in linea BD, donec in F, versus B retrospicienti, obiectum C in speculo superiore adpareat, vt angulum DFC semirectum esse tibi constet: in D vero venienti C conspiciatur in speculo inferiore; mensis linea FD, (quae aequalis est DC) et BD, habes duos cathetos trianguli BDC, imo et hypothenusam BC, punctis B et C iam ante in linea AB determinatis. Itaque et angulum CBD per trigonometriam inuenire, ac iungere angulo CBA licebit, quorum summa angulum ABD efficiet; commodius autem mechanice super tabula, ex punctis C et B radiis CD=DF, et BD intersectio fiet in D, per quam ducetur BD.

§. XII.

§. XII.

Vberioris tamen vſus eſt dimenſio angulorum, circulorum, aut ſemicirculorum, aut quadrantum ope, quae methodus apud Gallos communior eſt, modo diuiſio, et ſtructura operis ſit exacta, ſiue regulae, quas *Alhidadas* vocant, tubis opticis, ſiue ſolum dioptris ſint inſtructae. Qua de re multa paſſim apud auctores inueniuntur, multa etiam inuenienda ſuperſunt. Confer Acta Academiae Regiae Pariſinae ad annum 1765. *Memoire ſur quelques moyens de perfectionner les Inſtrumens d' Aſtronomie. Par M. le Duc de Chaulnes.* Pro dimenſionibus Geodaeticis communibus tamen ſufficiet vtique, ſi angulos citra errorem vnius minuti primi metiamur, quod quidem fieri absque tubis opticis poteſt. Presbytae oculis etiam inermibus, imo et myopis conueniente lente concaua inſtructis obiectum, quod ſub vnius minuti primi angulo apparet, experientia teſte eſt viſibile. Erit vero, ſi radius quadrantis pedem Pariſinum aequet, in arcu vnum minutum primum pariter ſatis viſibile etiam oculo inermi, quamuis expediat lentem adhibere conuexam, quo commodius in arcu diuiſio videatur. Sumamus enim pedem in 10 digitos, digitum in 10 lineas diuiſum, lineae partem 10mam ſcrupulum vocemus. Habebit ergo radius 1000 ſcrupula; eſt vero ſinus vnius minuti ad radium $= 29 : 100000$, ſeu proxime $= 3 : 10000$. Itaque in arcu talis quadrantis partes decimae tres, ſeu fere pars vna tertia vnius ſcrupuli minutum primum implebunt. Eſſe autem tres decimas vnius ſcrupuli viſibiles, ex eo liquet, quod tales partes 33 aequent vnam lineam: at tenuiſſima argentea fila etiam notabiliter tenuiora ſunt quam $\frac{1}{33}$ vnius talis lineae. Neque adeo difficile eſt tam tenues ſulcos metallo inſculpere. Notandum eſt, fruſtraneum eſſe, multo tenuiores

partes in arcu quadrantis notare, quam dioptrarum, aut tuborum, si hi adhibentur, ope in obiectis videre liceat, ita, si dioptrae solum minuta prima exhibeant, frustra in arcu minuta secunda notarentur.

§. XIII.

Plus difficultatis habet exacta quadrantis diuisio, ex qua tamen angulorum exacta dimensio, et distantiarum determinatio maxime pendet, quapropter ad problema praesens pertinere existimo, qua ratione exacta diuisio obtineatur, exponere. Hanc Geodaeta per se ipse facere, aut certe ab artifice factam examinare debet; suaserim autem, vt potius diuisionem quadrantis sui, atque nonnii ipse per se faciat Geodaeta, quam vt artifici faciendam relinquat, cum non plus artis aut laboris postulet examen quadrantis, ac eius diuisio; molestum autem sit male diuisum quadrantem habere, et errorem in eo tollere non posse, quamuis erroris ratio haberi possit in calculo. Pauca tamen, diuisionem quadrantis facere antequam doceam, monenda habeo: nempe 1mo pono arcum instrumenti mei (fig. 12.), quod quadrantem voco, quadrante maiorem esse, ita, vt saltem 15 gradus vltra 90 seu 105 in eo locum habeant, quamuis 90 solum adscriptis numeris notentur, quindecim vero vltra initium quadrantis seu 0 excurrant. 2do pono, opus satis firmum esse, et arcum planum ac minime asperum, et exacte centro motus C, circa quod regula dioptris instructa gyrat, concentricum. 3tio regulas dioptris instructas ei iungi duas, superiorem vnam super arcum circa centrum C mobilem, sed ita, vt motus sit mollissimus, et axiculus in C exacte rotundus, ac implens rotundum regulae foramen; alteram inferiorem, quae nos de quadrantis statu

doceat.

doceat. Atque haec quidem ita firmari poſſit, ope cochleae, vt, dum ſuperior adiuncto nonnio oſtendit initium diuiſionis, ſeu gradum o, inferior in idem omnino obiectum tendat, in quod tendit ſuperior: hinc et inferiorem, vt commode in eum ſtatum redigatur, per exiguum ſaltem interuallum leniter mobilem eſſe conuenit. 4to ſuppedaneum quadrantis eiusmodi eſſe haud dubie debet, vt et firmum ſit, et quadrans horizontaliter conſtitutus facile circa axem verticalem, qui circiter centrum grauitatis quadrantis pertranſeat, molliſſime verti ſigique demum poſſit. 5to antequam diuiſionem quadrantis aggrediar, inſtruo me prius machinula quadam ſubtilibus ſulcis aurichalco inſculpendis opportuna. (fig. 13.) Lamella nempe Aurichalcica ad angulum rectum inflexa fert chalybeum cylindrum DC tenuibus helicibus inſtructum, et inferius in tenuiſſimam cuſpidem exeuntem, ſuperius vero caput ferentem parallelepipedum, cuius medium tranſit crena, vt inſerto cultro quodam facile circumagatur. Iam cum eleuare aut deprimere hanc cuſpidem molliſſime pro libitu, et adductis cochleis firmare liceat, in poteſtate mea eſt, ea ſulcos facere magis aut minus profundos. Si latus *mn* applico regulae, pollicem poſt, indicem ante lamellam A, et medium digitum ſuper lamellam B apprimo, iuxta eam lineam ſeu ſulcum rectum exarare perfacile eſt. Ita inſtructus diuiſionem quadrantis aggredior.

§. XIV.

Impono eum firmiſſimae menſae (fig. 15.) in *c* in conclaui ſatis amplo, ita vt arcus extra menſam promineat, et inferior regula dioptris inſtructa pariter extra marginem menſae ſit, tendatque in oppoſitum punctum *d*, firmeturque quadrans, vt, donec diuiſio abſoluta ſit,

in eodem constanter situ maneat. 2do circumpono super fulcra in eadem altitudine supra solum, quae quadrantis est, circa parietes tigna quaedam *ab*, *bde* sub angulo recto in *b* coniuncta, et ita, vt *ac*=*cd*. Angulum rectum ope tigni tertii, hypothenusae nempe, determino; sed etiam distantias *ac* et *cd* tigni ope aequales obtineo. Diuido autem tignum *ab* in 10 aequales partes, seu pedes arbitrarios, quales etiam in tigno *bd* notantur, et plures adhuc vltra *d* vsque ad *e* circiter tres, 3tio paro lignum parallelepipedum paulo longius tali pede, in quo pes in 100 partes aequales, seu lineas diuiditur, cuius partem parallelepipedi AB vltra duos digitos longam, tigno incumbentem, exhibet figura 14. 4to et huic denuo aliud parallelepipedum CD breuius imponitur, in quo longitudo 11 linearum in 10 partes aequales diuiditur, seruitque ad lineas in decem scrupula tanquam nonnio quodam diuidendas. Itaque aequabit *ab* (fig. 15.) 10 pedes arbitrarios = 100 digit. = 1000 lin. = 10000 scrup. quo longior est *ab*=*bd*=*cd*=*ac*, eo id melius est. Et quidem si parallelepipedum longius, seu pedale AB (fig. 14.) imponas tigno, ita vt diuisionis initium initio pedis alicuius e. g. quarti n. 3. notati immineat, habebis pedem illum in 100 lineas diuisum. Parallelepipedum minus CD imponitur maiori, ad linearum diuisionem. Ecce hic initium diuisionis huius parallelepipedi seu cursoris asterismo (*) notatum, super pedali inter lineam 13 et 14 pedis quarti; linea vero quarta ab hoc signo (*) in cursore sinistrorsum recedendo incidit perfecte in aliquam lineolam nempe 9 in parallelepipedo pedali, vnde signum (*) distat ab initio diuisionis in tigno 3 pedes 13 lin et 4 scr.

§. XV.

§. XV.

Tignis ita ordinatis (fig. 15.) vt *ca* sit perpendicularis in initium diuisionis seu o ped. (a puncto *a* ad *b* sunt 10 pedes); dirigatur regula inferior in *d* et firmetur, superior vero in *a*; tum prope regulam, ope instrumenti primum ante (§. 13.) descripti, fiat in arcu quadrantis prope marginem breuis linea ad denotandum gradum o. quaeratur dein ex tabulis tangens vnius gradus = 157 in partibus radii 10000 seu 17 lin. 5 scrup. et tigni *ab* primo pedi superposito parallelepipedo pedali, huic superpositus cursor ita constituatur, vt signum (✳) denotet 17 lin. 5 scrup. tum regula superiore (inferior manet immota, et directa in *d*, seruitque solum ad examinandum, vtrum quadrans non fuerit dimotus) collima in signum (✳) et prope regulam exara sulcum alterum, pro denotando primo gradu, et sic perge vnum gradum post alterum simili modo notare, vsque ad gradum 45. Gradibus 45 notatis vel incipe, collimando primum in *d* et pergendo ad *b*, iterum 45 gradus simili modo notare (numeri gradibus nondum adscribuntur) vel perge a puncto *b* ad *d* cotangentes graduum 45, 47 etc. vsque ad 90 promotione parallelepipedi pedalis et cursoris notare; at numerum pedum in tigno *bd* non a puncto *b* ad *d*, sed a puncto *d* ad *b* pergere decet, similiter in parallelepipedo pedali, et cursore numeri contrario ordine scripti esse debent; itaque vel aliud tale parallelepipedum, et alium cursorem pro tigno *bd* paratum habere debes vel in priore etiam contrario ordine illi, quem fig. 14. exhibet, numeri prioribus apponendi sunt; demum 90 gradibus notatis, perge vlterius in reliquo arcu, quotquot capit, gradus notare, sed saltem 15 (§. 13.) promouendo parallelepipedum cum cursore (fig. 15.) a puncto *d* ad *e*; omnibus gradibus notatis,

incipe ab initio, et nota simili modo dimidios gradus, aut si magis placet, mox prima vice non gradus tantum integros, sed et dimidios nota, et habebis arcum rite diuisum in gradus integros et dimidios; distinguantur tamen integri a dimidiis longitudine sulcorum, sed et deni quique, quibus post adscribentur numeri longiore sulco, et quini quique signo aliquo a reliquis discernentur. En partem arcus quadrantis (fig. 16.) exhibitam in AB cum apposito cursore CD, qui quadrantis marginem radit.

§. XVI.

Nonnius CD affixus est regulae superiori E, in qua *mn* basis est dioptrae ocularis. F vero brachiolum est, quod cursorem quadranti adstringit, ne ab eo discedat. Debent autem in nonnio 30 in aequali abinuicem distantia insculpti sulci 31 in quadrantis margine respondere. Itaque a *C* ad *D* progrediendo et a signo (*) incipiendo primum asterismum sequens sulcus ab isto initio distare debet 31 minutis, secundus 1°. 2′, tertius 1°. 33′ etc. si iam ipse sulcus signo (*) notatus, seu index a regula *E* triginta minutis distet (quod, vt commodius videatur cui gradui, et gradus parti respondeat, facere consultum erit) distabit primus post (*) sulcum 1°. 1′, alter 1° 32′, tertius 2°. 3′ etc.

§. XVII.

Vt nonnii accurata obtineatur diuisio, nonnius primo arcui quadrantis, ope lamellae (fig. 17.) duabus cochleis *rr* (fig. 16. 17.) inferius ipsi affixae, iungatur, duabus aliis cochleis per foramina oblonga *uu* transeuntibus, et foramina rotunda *uu* in quadrante subeuntibus, quae helices tanquam cochleas matrices habent. Verum locus

cus horum foraminum *uu* non est, vti figura 16. exhibet, prope gradum 20, sed prope gradum 0, ita nempe, vt, dum regula E in quadrante (fig. 16. 15.) tendit ad *d*, et quadrans adhuc eum, quem exhibet figura, situm habet, cochleis per foramina *uu* adactis, nonnius in isto situ quadranti affigi possit. Atque hoc quidem fieri oportet. Nonnio itaque per cochleas quadranti affixo, per dioptras regulae E (fig. 16. 15.) tendatur ad punctum *d*, quod si forte non perfecte in media dioptra appareat punctum *d*, cochleis per *uu* transeuntibus dimissis, mutatur nonnii situs, vt perfecte demum regula ad *d* tendat, et adductis iterum cochleis, nonnius quadranti firmiter iungatur; haecque est caussa, cur lamella (fig. 17.) foramina *uu* non rotunda, sed oblonga habeat, vt cochleis nondum adductis liber adhuc exiguus motus nonnio concedatur: exactissime enim debet regula E (fig. 16. 15.) in *d* tendere, dum nonnius regulae cochlea coniunctus est, similiter et regula inferior accurate in *d* tendat, quo obtento exempta cochlea *S* regula superior E a nonnio liberatur, inferior fixa manet. Regulam *E* nunc 30 minutis promoue, vt nempe linea fiduciae a puncto *d* ad *b* (fig. 15.) dimidio gradu progrediatur (nempe nunc iterum parallelepipedo pedali, et altero digitali, seu nonnio ligneo vtimur ad tangentes in tabulis inuentos determinandos) et consulta prius regula inferiore, vtrum situs quadrantis mutatus sit, primum prope regulam sulcum insculpe signo (✳) notandum (fig. 16.). Post promoue regulam, vt linea fiduciae discedat a puncto *d* 1°, 1′ (fig. 15.) et iterum sulcum prope regulam exara. Discedet dein linea fiduciae a puncto *d* 1°, 32′, et denuo sulcus fiat; et sic perges cum regula progredi sensim, donec 31 sulcis factis nonnii diuisionem absolueris. Amota dein lamella (fig. 17.) quae interim nonnium

nium quadrantis arcui iunxit, cuius nunc nullus amplius vſus eſt, nonnius inſerta *S* (fig. 16.) iterum regulae *E* affigitur. Nonnii ſulci denis gradibus reſcendentes producuntur, iunguntur que numeri, prout figura 16 exhibet.

§. XVIII.

Quadrantis deſcripti ad metiendos angulos hic vſus eſt: 1°. adducitur regula E, vt ſignum (✳) notet o in arcu. Commodum eſt, ſi ad regulam in hoc ſitu aliquamdiu conſeruandam (fig. 18.) brachium aliquod *abc* duabus cochleis *m* et *n* regulae E ſit affixum, vt ope cochleae D quadrantis arcum AB inferius prementis ei affigi poſſit. (exhibet figura 18. ſectionem verticalem AB arcus quadrantis, cuius lamella ſuperior aurichalcica eſt, inferior ferrea; FG partis regulae ferreae arcum tenentis; E partis regulae, ſeu alhidadae; dioptrae tamen non exhibentur, *abc* brachii regulae affixi.) Figatur ergo regula ita, vt index nonnii (✳) exacte ad arcus quadrantis initium diuiſionis conſiſtat, ſeu e regione o grad. tum quadrans vertatur, vt obiectum aliquod e. g. aliqua, quam vocemus, turris *T* per dioptras regulae E appareat; dein etiam regula inferior ab idem obiectum dirigitur, et in hoc ſitu firmatur, ita nempe, vt ambae regulae in idem obiectum tendant, dum index notat o. dimiſſa dein regula, quae adhuc ope cochleae D arcui quadrantis adhaerebat, promoueatur ad alterum obiectum e. g. turrim *t*, et monſtrabit 1°. index (✳) (fig. 16.) e. g. 21 gradus, ſi nempe ſignum (✳) ſit inter 21 et 22, et ſi inter 21 gradus et ſemigradum ſequentem conſiſtat, ſupra 21 gradus angulus *TCt* (pono locum quadrantis dici C) aliquot minuta pauciora tamen quam 30 habebit, a nonnio nobis oſtendenda. Vide

itaque

itaque, quis sulcus nonnii sulco alicui quadrantis perfecte e regione respondeat; in figura hac vides, eum esse 21 in nonnio; itaque habemus angulum *TCt* 21 graduum 21 minutorum. Quodsi index vltra semigradum promotus esset, numeri in nonnio maiores valerent e. g. 51 pro 21: vides enim in nonnio duas esse numerorum series; vnam pro semigradu ab initio gradus ad 30′, alteram a 30′ ad 60′. Verum haec quidem vulgo nota sunt, exponenda tamen censui, vt quadrantis mei exactiorem notitiam praeberem.

§. XIX.

Quodsi regularum cum dioptris loco adhiberentur tubi optici micrometris instructi, vtique angulos etiam exactius dimetiri liceret; attamen vt non aliquot minutis secundis erretur, caueri vix poterit, quia tubus pedalis non tantum auget obiecta, vt partes adeo exiles accurate distinguantur; verum tum etiam arcus quadrantis subtilior adhuc deberet esse diuisio. Et quoniam vitro subtiliores lineae et durabiliores quam aurichalco inscribi possunt, quadrans vitreus aptior quidem per se esset, nisi fragilitas vitri obstaret, arcus vero parui cum tubis longioribus multo ideo non placent, quia inflexio tubi timenda est.

§. XX.

Dimensione baseos exacta et angulorum ei adiacentium distantiam loci determinari, quis ignorat? hanc maxime methodum gallis vsitatam scimus. Quaestioni itaque propositae vt satisfaceremus, ostendendum erat, qua ratione baseos et angulorum exactam dimensionem obtineremus etiam in casibus difficillimis, vbi nempe in basi dimetienda obstacula obueniunt varia; angulorum vero

accurata dimensio nonne ex accuratione instrumenti, quo angulos metimur, prope vnice pendet? Recte itaque fecisse me arbitror, exponendo methodum accuratam quadrantis geodaetici diuisionem obtinendi, et eius vsum paucis commonstrando. Methodus haec diuisionis, quantum mihi constat, noua est; scio examen diuisionis per tangentes antiquum esse, diuisionem vero per tangentes facere nemo, quod sciam, ante me docuit: quapropter methodum hanc breuiter, quantum licuit, exponendam duxi. Sed nondum rem omnem confectam habemus; plures sunt methodi, quibus distantias locorum determinemus. Superest mihi de mensula praetoriana dicere, quae licet antiquissima sit, noua tamen de eius vsu afferam: ante vero angulorum parallacticorum vsum, et eorum metiendorum rationem variam describam.

§. XXI.

Angulus ACB (fig. 19.) quem faciunt lineae CA et CB ex eodem obiecto C ad extremos terminos oppositae baseos AB ductae, qui *parallacticus* dicitur, si est exiguus, summa angulorum A+B parum differr a 180 gradibus. Quodsi ergo proxime aequales sint, etiam proxime rectos eos esse decet, eritque ratio AB ad AC proxime = AB : BC, ac citra magnum errorem ex angulo parallactico C exacte cognito, et linea AB cognita distantiam puncti C determinare licet, licet anguli A et B seorsim non sint exacte cogniti: non tamen viciffim ex angulis A et B obiter solum cognitis determinare licet distantiam AC vel BC, quia, nisi exacte sint cogniti, summa etiam inde eruenda non erit exacte cognita; ergo ex ea angulum parallacticum exacte concludere non licebit. At sunt casus perquam multi, in quibus angulum paralla-

parallacticum satis exacte aliunde cognitum habere licet, quamuis singulorum angulorum A et B mensura exacta nobis ignota sit. Quodsi ergo distantiam obiecti C non adeo exacte cognoscere volumus, ope anguli parallactici satis bene quasi vno ex loco determinare licet: nempe duo puncta A et B, si paucis a se pedibus distant, pro vna statione computantur. Et hoc in sensu intelligendus est Comes Paceccius, cum instrumento a se inuento, quod Pantometrum appellat, ex vna statione distantias locorum metiri se posse affirmat, quamuis eo quidem haud immediate angulum parallacticum, sed angulos potius A et B ad basin metitur. Nondum Pacceccianum instrumentum, quod postea Christianus Mayerus descripsit, habebam cognitum; venerat tamen tum aliquis de eo ad me rumor, cum aliud mihi forte Pacecciano perfectius imaginatus sum, cuius descriptionem aliquam alia occasione dabo; nunc vero varios angulum parallacticum, quamuis A et B non sint cogniti, determinandi modos dabo: neque enim eos nisi obiter cognitos haberi oportet ad distantiam puncti C sine errore in mappa geographica notabili determinandam; certe 100 pedes in mappa admodum ampla vix scrupulum aequant, aut parum superant. Verum ne assertio mea de eadem ratione *AB* ad *AC*, mutatis non nihil angulis A et B, modo C constans maneat, in dubium vocetur, demonstrationem iungo. Ponamus (fig. 20.) loco anguli recti CAB vel obtusum C$\mathfrak{a}$B, vel acutum CαB, qui tamen a recto parum differant, adesse, angulum vero C esse exiguum. Erit itaque distantia CA respectu AB valde magna, et cum in data hypothesi C$\mathfrak{a}$B, et CαB proxime recti sint, adeoque $\mathfrak{a}$BA, et ABα valde exigui, et insuper linea AB respectu CA breuis sit, erunt $\mathfrak{a}$A et Aα omnino exiguae lineae, et C$\mathfrak{a}$, CA,

ac $C\alpha$ perparum different: quodsi ergo etiam $\mathfrak{a}B$ et αB ab AB parum differant, erit eadem ratio baseos AB ad AC, atque $\mathfrak{a}B$ ad $\mathfrak{a}C$, vel αB ad αC, hoc est, siue angulus A perfecte, siue proxime rectus sit, eadem est ratio baseos anguli parallactici, ad distantiam loci. At $\mathfrak{a}B$, AB, αB in dato casu parum admodum differre, sic ostendo: $\mathfrak{a}B:AB=$ *Radius: sin. anguli* $\mathfrak{a}$, qui proxime rectus est; atqui sinus angulorum proxime rectorum parum admodum a radio differunt; ergo $\mathfrak{a}B$ ab AB parum omnino differt. Similiter $\alpha B:AB=$ *Radius: sin. anguli* α. qui et ipse proxime rectus est; ergo etc. Q. e. d.

§. XXII.

Quam parum sinus arcuum quadrantem fere aequantium ab ipso sinu toto differant, vel obiter libellos sinuum inspicienti patet. Certe in exemplis particularibus patet, quam parum erroris inferatur, si angulus A pro recto habeatur, quamuis notabiliter a recto discedat. Sit enim angulus parallacticus BCA $= 20'$; BC aequet 10 pedes; ponamus 1°. angulum A esse rectum; post esse acutum $=88$ graduum; in casu primo erit Tang. anguli C:AB= Radius: AC.

AB log. + sin. tot. log.	11, 0000000
C. Tang. log.	7, 7647610
AC. log.	3, 2352390

A C=1718, 8 pedes. In casu secundo dein erit Sin. 20': AB= Sin. 88°. 20' supplementum anguli CBA:AC

Sin. 88°. 20' log.+AB log.	10, 9998162
Sin. 20' log.	7, 7647537
AC. log.	3, 2350625

AC=1718, 1 pedes. Differentia solum 7 digitorum est in distantia plus quam 1700 pedum, quae plane modica est,

eſt; itaque modo angulus parallacticus exacte ſit menſus, vera loci diſtantia ex eo bene colligitur.

§. XXIII.

Manet autem etiam angulus parallacticus idem manente diſtantia CB, et baſi anguli parallactici AB vel ɑB, vel αB, ſiue angulus A rectus ſit, ſiue ɑ vel α proxime rectus. Quoniam enim ſinus totus a ſinu anguli proxime recti vix quidquam differt, ratio ſinus anguli A ad CB eadem eſt, ſiue rectus ſit A, ſiue proxime rectus ɑ vel α: At vero vt CB ad ſinum anguli oppoſiti A, ita *AB* vel *ɑB*, vel *αB* ad ſin. anguli C; ergo, ſi AB = ɑB = αB, vti ponitur, erit etiam ſinus anguli C idem, conſequenter C idem angulus. Res etiam exemplo pateat. Sit A angulus rectus, erit eius ſin. log. 10.0000000, ſinus vero α 88° erit log. 9,9997354. Sit CB = 1000; AB = 10; erit log. Sin. anguli C in caſu priore 8,0000000; in poſteriore 7.9997354. priori reſpondent 34′, 23″. poſteriori 34′, 22″. differentia vnius minuti ſecundi eſt, eſſetque multo minor, ſi diſtantia BC poneretur maior, et angulus parallacticus minor. Iam ad methodos varias angulum parallacticum metiendi progrediamur.

§. XXIV.

Problema. Ex duabus altitudinibus A, et B eiusdem turris (fig. 21.) loci diſtantis C angulum parallacticum ACB ope libellae metiri. Suppono, libella te inſtructum eſſe perfecta cum tubo optico, qui micrometro armatus ſit; repraeſentet D aream tubi optici tenuiſſimis filis decuſſatim aream ſcindentibus. *Solutio.* Ex altitudine A proſpice ad locum diſtantem C, et libella horizontaliter conſtituta vide, num punctum C appareat in area tubi ſupra,

an infra, an in ipso filo horizontali *mn*, et quot minutis primis et secundis supra vel infra hoc filum sit, si non in ipso filo apparet, ope micrometri metire. Idem fac in loco turris inferiore B, et, siquidem in A ipso filo horizontali in II apparuerit, in B vero appareat in III (si tubus est astronomicus in loco inferiore profundius apparebit) erit II, III micrometro mensus angulus ipse angulus parallacticus. Si in A apparuerit supra filum e. g. in I, in B vero infra in III, erit summa angulorum seu I, II+II, III angulus parallacticus. Si tam in A, quam in B, vel vtrinque supra, vel vtrinque filum horizontale apparuerit, erit angulorum differentia angulus parallacticus. e. g. si apparuerit in A, obiectum infra filum *mn* 1', 2''. in B vero 15', 12'': erit angulus parallacticus 14', 10''. quae omnia geometriae elementaris peritis satis liquent.

§. XXV.

Corollarium 1mum. Ex vna itaque turri ope libellae omnium locorum circumsitorum non nimis remotorum ex duabus eius altitudinibus visibilium distantias, mensa altitudinum differentia AB, satis exacte inuenire licet, insigni vtique geodaesiae, et geographiae emolumento. Debet tamen differentia altitudinum pro geodaesia esse satis magna, siquidem distantiarum dimensiones exactae petantur, et pro geographia distantiae locorum non enormes, ne angulus parallacticus nimis fiat exiguus.

§. XXVI.

Scholion. Nihil molestum magis geographo integrae regionis mappas paranti accidit, quam quod plerumque contingit, vt, dum ex duabus aut tribus turribus circumsitorum locorum distantias determinare velit, non eadem obiecta in vna turri videre queat, quae vidit in alia.

e. g.

e. g. in turri vna A videt C, D, E, F, G, in turri B videt obiecta C, G, M, N, O, P; itaque ex A et B solum locorum C et G distantias determinare poterit. Reliquorum vero obiectorum in alterutra turri ab interpositis siluis, collibus etc. obtectorum distantias ex obseruationibus in his solum turribus factis, sine subsidio anguli parallactici determinare non poterit. Vide itaque, quam insignis sit inuentus a me nouus libellae aquaticae vsus, ad distantias locorum ex vna quasi statione determinandas.

§. XXVII.

Corollarium 2dum. Similiter ex eiusdem collis aut montis diuersis altitudinibus A et B (fig. 22.) visorum procul locorum distantias ope libellae detegere licet. Ponamus enim A, et B, et C in eodem plano verticali, saltem proxime sita esse: menso ope libellae angulo ACB, seu DCB, determinanda est eius basis DB, quod quidem, mensa linea AB, et angulo A vel B ope trigonometriae in triangulo rectangulo ADB, vt omnibus geodaetis notum est, facile fiet, et inde eruetur distantia DC, (AD respectu magnae lineae AC habetur pro nihilo;) si vero locus multum distat, AD ex ipsa trianguli ADB determinatione habetur.

§. XXVIII.

Corollarium 3um. Si angulus parallacticus omnino exiguus, aut prope nullus est, distantias locorum ope anguli parallactici determinare amplius haud licet; hinc pro valde remoti loci distantia inuenienda altitudinum differentia seu AB (fig. 21.) non debet esse nimis modica. Ecce hic angulum parallacticum pro varia eius baseos ad distantiam ratione:

Basis.

Basis.	Distantia.	angulus parallacticum.
1.	10.	5°. 44′. 21″.
1.	30.	1. 54. 36.
1.	50.	1. 8. 45.
1.	75.	0. 45. 50.
1.	100.	0. 34. 23.
1.	200.	0. 17. 11.
1.	500.	0. 6. 53.
1.	1000.	0. 3. 26.
1.	2000.	0. 1. 43. etc.

§. XXIX.

Corollarium 4tum. Quantum incertitudinis est in metiendo angulo parallactico, tantum quoque est in determinanda per eum loci distantia. e. g. Simus de angulo parallactico 45′. 50″ ad 5″ incerti, h. e. eius partem 550mam, erimus etiam de distantiae parte 550ma incerti; cumque ea sit ad basin 1 : 75, si basis sit 10 pedum, distantia ad 1mum pedem 4 digit. incerta erit. Haec incertitudo crescet decrescente angulo, at minuetur illo crescente: hinc pro locis vicinis exigua, pro valde distantibus magna est.

§. XXX.

Corollarium 5tum. Quoniam si locus valde vicinus est, angulus parallacticus maior inuenitur, quam vt eum area tubi optici capiat, metiri eum ope libellae non possumus, nisi iunctus libellae sit sector aliquis. Imo etsi angulus parallacticus non nimis paruus sit, si tamen locus distans multum supra, aut multum infra libellam ex statione nostra appareat, angulum parallacticum area tubi libellae iuncti non capiet.

§. XXXI.

§. XXXI.

Corollarium 6tum. Si tabulas nobis fecerimus, quae angulis parallacticis reſpondentes diſtantias relate ad baſin exhibeant, aut earum logarithmos, data baſi et angulo parallactico, diſtantia facillimo calculo eruetur. Tabulae iſtae ſequenti inniterentur principio: *Baſis anguli parallactici eſt ad diſtantiam obiecti, vt ſinus totus ad cotang. anguli parallactici.* Quapropter, ſi in cotangentium logarithmis auferatur a characteriſtica 10, reſiduum dabit logarithmum, qui additus logarithmo baſeos praebet logarithmum diſtantiae: aut ſi baſin multiplicas per cotangentem anguli parallactici, ſumpto radio = 1, prodibit diſtantia. e. g. Sit baſis = 10 pedum; angulus parallacticus 30; logarithmus baſeos erit 1, 0000000, cui addi debet logarithmus 2, 0591416 adeoque diſtantia 1145 ped. 9 digit. vel tangentem 114599 multiplica per 10, et prodit eadem diſtantia 1145.9.

§. XXXII.

Corollarium 7mum. Creſcente baſi decreſcit incertitudo pro eadem diſtantia. Nam ſit e. g. diſtantia 20000 pedum, baſis 10 ped. erit angulus parallacticus = 1′.43″ = 103″ cum incertitudine, quae proxime $\frac{1}{20}$ partem diſtantiae aequat, ſiue 1000 pedes. Sume vero, baſin eſſe 20 pedum, erit tum angulus parallacticus = 3′, 26″ cum incertitudine, quae $\frac{1}{41}$ partem diſtantiae, ſeu 488 complectitur.

§. XXXIII.

Corollarium 8uum. Hinc diſtantiae valde magnae nimis inaccurate per angulos parallacticos innoteſcunt, ſi baſis ſit exigua. Quapropter loca valde diſtantia ex eiuſdem turris diuerſa altitudine ope libellae non poſſumus

metiri. At ex diuersa altitudine eiusdem montis, quae satis esse diuersa potest, etiam valde remotorum locorum distantiam determinare licebit.

§. XXXIV.

Corollarium 9num. Etiamsi duae stationes eiusdem montis, ex quibus in locum distantem tenditur, ad angulum parallacticum, ope libellae agnoscendum, sint in planis verticalibus longe diuersis, attamen haberi possunt pro talibus, quae in eodem plano verticali sint, modo non enormiter a se distent: quia locus remotus in eadem supra terram altitudine, seu in eodem plano horizontali, vel tantumdem supra horizontem eleuatus, aut infra eum depressus apparet, siue consistas in hoc, siue in alio dexteriore, aut sinisteriore loco, modo sit proxime eadem a loco remoto distantia respectu ad basin anguli parallactici, et statio sinisterior a dexteriore non enormiter remota sit.

§. XXXV.

Hactenus angulum parallacticum in plano verticali saltem aequiualenter eodem esse sumsimus: progrediamur ad situm anguli parallactici in plano horizontali. Si lineae fiduciae (fig. 23.) AC, BC ex duabus stationibus A et B, in eodem plano horizontali sitis, ad duas lineas parallelas Aa, Bb referri possunt, angulum parallacticum inde eruere licet; nempe I. si vna linea fiduciae BC cadit in ipsam parallelarum vnam Bb, angulus $aAC1$ est = angulo parallactico $AC1B$. II. si locus C2 est inter lineas parallelas Aa, Bb, summa angulorum $aAC2$ et $bBC2 = AC2B$ ang. parallact. III. si extra eas cadat in C3, angulorum $aAC3$ et $bBC3$ differentia, seu $aAC3 - bBC3$ angulum parallacticum $AC3B$ constituit.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Si ex A et B tendatur in locum infinite quaſi remotum lineae eo tendentes *Aa*, et *Bb* erunt inter ſe parallelae. Quare ſi poſt locum propinquiorem C longiſſime remotum e. g. montis alicuius cacumen appareat, angulum parallacticum metiri ex locis A et B licet, e. g. (fig. 23. et 24.) appareat in ſtatione A locus C in II, dum tubum in remotum locum ita direxiſti, vt is filo verticali *mn* obtegatur; appareat poſt in altera ſtatione B in I, dum iterum filum *mn* locum remotum tegit; metire micrometro I II, ſeu in prima ſtatione II*c*, in ſecunda I *c*, et ſumma praebet angulum parallacticum, vnde diſtantiam eruere licet, etſi A et B vicina ſint, modo non nimis vicina reſpectu diſtantis loci C (§. 32. etc.)

§. XXXVII.

Pro locis remotis etiam ſidera prope horizontem a duobus obſeruatoribus, vno in A, altero in B ſimul conſpecta, item azimutha ſimultanea ſiderum, maxime dum altitudo eorum eſt ſupra horizontem exigua, haberi poſſunt.

§. XXXVIII.

Quodſi locum quaſi infinite remotum non inuenias, ad quem ex duabus ſtationibus A et B locum viciniorem C referre poſſis, expone in diſtantia ſatis magna e. g. 100 maiore, quam *A* diſtat a *B*, ſignum aliquod, exempli gratia tripodem aliquem cum ſuperpoſita virga verticali D (fig. 25.) cum pede, cui inſiſtat, vt ſuper menſam commode dextrorſum, aut ſiniſtrorſum moueri poſſit in ipſa linea fiduciae AC. Tu nempe per tubum ad *C* proſpiciens

monebis vel clamore, vel signo motu manus dato, vt vel dextrorsum, vel sinistrorsum moueat socius tuus signum, seu candelabrum D, donec perfecte in linea AC, aut saltem in eius plano verticali consistat in *n*. Quo facto socius tuus super alium tripodem aliud tale candelabrum constituat in *m*, ita, vt *mn* fiat = BA, et angulus *Anm* proxime rectus sit; eruntque lineae *An*, *Bm* parallelae, adeoque *CBm* = ACB angulo parallactico, quem metiri, si exiguus sit, micrometro poteris, aut sectore horizontali, si sit maior, quam vt eum tubi area capiat.

§. XXXIX.

Ad mensulae praetorianae nunc vsum transeamus. Omitto vulgo nota, et affero tum penitus noua, tum certe non vulgo vsitata. Ac primo mensulam facio multo ampliorem, ac alias solent, vt eam tamen vnicum chartae amplissimae, quae haberi potest, folium tegat. Eam etiam planissimam et firmissimam esse volo, facile tamen mobilem, ita vt cochlearum ope situm horizontalem et directionem laterum desideratam molli motu obtineat. Iungo etiam dioptras examinales, ipsi mensae adhaerentes, mobiles tamen, donec ope cochleae figantur. Harum ope singulis momentis examinare licet, num mensula ex situ pristino fuerit casu aliquo dimota. Verum machinamenti huius descriptionem operi geodaetico seruo, sciens, etiam ab aliis mensas, iisdem fere dotibus instructas, paratas esse, hoc solum discrimine, quod mea minus preciosa sit. Quod caput rei est, vsum mensae ad operationes geodaeticas, quantum a pristino differat, explicabo.

§. XL.

§. XL.

Secundum communem methodum mensa primum statuitur in vna statione, quam vocemus A, collimatur ad obiecta, quorum distantias et situs inter se ope mensulae determinare volumus, et prope regulam (fig. 26.) circa punctum *a*, quod imminet stationi A, sensim circumactam tot ducuntur lineae, quot obiectorum ex stationibus A et B situs determinare volumus. Notantur vero circa marginem mensae singulae lineae vel numeris vel literis, et in codicillo aliquo describuntur obiecta correspondentia. Transitur dein in stationem B; lineae *ab* tot super mensula decempedae et pedes ex minuta mensura tribuuntur, quot AB habet ex mensura vsitata seu magna; collocatur *b* super *B*, et *ab* super *AB*; ex B collimatur iterum in omnia haec obiecta. Nunc quidem opus haud est denuo lineas ducere, sed, dum regula tendit in obiectum aliquod e. g. *m*, illius obiecti nomen in codicillo quaeritur cum numero correspondente e. g. V, quaeritur dein linea *aV*, fitque punctum, vbi regula *bm* lineam *aV* secat. Adscribitur 5, vel ipsum nomen obiecti; nam punctum 5 est ipse obiecti *m* locus in mensula. Si quidem obiecta sint pauca admodum, et a se multum remota, haec praxis difficultate caret; at vbi obiectorum ingens multitudo est, in statione A ductis ex *a* lineis, tota fere mensula impletur, lentus labor est, et perpetuum confusionis periculum. Insuper innumeris baculis opus, si terminos omnium agrorum ex stationibus A et B determinare velis, nouumque confusionis periculum; molesta est sic et difficilis dimensio. Papyrus autem mensae superinducta tot lineis foedata ipsa imaginem agrorum dimensorum oculis minime blandientem exhibet: hinc agri circumiecti facta imago in aliam papyrum transferenda et depingenda est.

§. XLI.

Omnibus his molestiis mea mensam adhibendi ratio caret. Et intra permodicum tempus plus efficitur, quam alias admodum longo. Opus autem habeo obseruatore socio, qui in statione B consistens in idem mecum obiectum tendat, in quod ego ex statione A, vbi mensa mea collocatur. Ille vero quadrante instructus est, aut quadrantis defectu triangulo aequilatero ex leuibus tignis aut regulis composito, quod quadranti aequiualet, et, quamuis minime preciosum, satis tamen accuratum pro metiendis angulis instrumentum est. Quodsi distantia non sit nimia, clamore mihi indicat socius, anguli, quoties aliquem metitur, a se mensi mensuram, alias, sequenti ratione: Quaternionem habet papyraceum bicolorem regulis, si placet, ligneis circumdatum, aut saltem duobus bacillis propter ventum instructum. Eius vnius faciei pars dimidia est alba (fig. 27.), altera alterius coloris e. g. rubri; ex altera facie pars vna est alba, altera nigra. Faciei primae circumscripti sunt numeri 1, 2, 3 etc. Iam ponamus a socio meo obseruatum angulum fuisse 43°. 27'. notandum est, situm huius quaternionis eminus visi varium, indicare mihi numeros: nempe situm, quem figura exhibet, denotat 2. Si numerus 1 summitatem obtinet, ita vt linea verticalis secet oppositos huius papyracei quadrati angulos, denotat 1. Si numerus 8 summus sit, ita vt ex parte sinistra sit color rubeus, ex parte dextra albus, quos linea verticalis terminet, situs hic denotet 8. etc. paucis illum numerum denotat quaternionis situs, qui in eo situ summus est. At quando 9 indicandum est, vertitur quaternio, monstraturque mihi in eo situ, vt color albus sit superior, niger inferior. At, si zerus (o) indicandus est, color niger sit superior, albus inferior. Ergo

Ergo poſt ſingulas obſeruationes a ſe factas ſocius meus quater hunc quaternionem alternis attolens, et demittens mihi obuertit, vt mihi quatuor numeros, mixtis ſi occurrant zeris, monſtrent. Ergo noto monſtratos numeros, quos etſi non videam, ex ſitu quaternionis colligo, e. g. 4, 3, 2, 7, vnde ſcio angulum a ſocio, obſeruatum eſſe 43°, 27′. Si monſtret mihi 0, 9, 0, 8 ſcio angulum obſeruatum fuiſſe 9°, 8′.

§. XLII.

Angulos a ſocio obſeruatos transferre ego debeo in meam menſam. Hoc vt commode faciam, paratos habeo bacillos, vt voco, tangentiales; commodum eſt, habere varios ſecundum variam aſſumti radii arbitrariam menſuram. Notantur autem in ſingulis bacillis graduum ſaltem 45 tangentes, et quidem notantur in ſingulis bacillis bis, nempe a parte dextra, et ſiniſtra. Partem bacilli talis infimam exhibet figura 32, et eius ſectionem verticalem *ab*. Notari etiam poſſunt tangentes dimidiorum graduum, et ſingulorum 15 minutorum, aut denorum quorumuis. Iam vſus horum bacillorum, qui admodum recti eſſe debent, nec nimis flexiles, hic eſt: in menſula mea (fig. 28.) conſtruo quadratum *mncb*, in cuius latus vnum cadat baſis *ab*, et in angulum *b* cadit locus ſtationis *B* in menſa repraeſentatus; longitudo vero laterum tangentem 45 graduum ex menſura alicuius bacilli tangentialis aequat. Lineam *nc* produco vltra *c*, ſiquidem id menſae ſpatium patitur, atque etiam *mb* produco vltra *b* ad finem menſae, et aliud quadratum minus iungo maiori latere *bg* minoris cuiusdam bacilli tangentialis, tangentem 45 graduum aequante. Curo autem, vt anguli omnes fiant accurate recti, quod, vt facilius obtineam, habeo

habeo in bacillo quodam secantem 45° designatum. Sed etiam lineae *n c* ad extremitatem mensae duco aliam parallelam *NC*, aut intra *nc*, si haec extremitati proxima sit, ita vt distantia huius lineae NC a linea *ab* vel ex longiore, vel ex breuiore bacillo tangentiali, quam est *mn* quadraginta quinque graduum tangentem aequet. Similiter *M N* parallelam *mn* duco. His paratis in *b* infigitur acus tenuissima, circa quam tanquam centrum filum sericum admodum tenue *be* sit mobile. Iam si in mensam transferendus est angulus aliquis e. g. 43°. 30′, applico bacillum tangentialem ad latus quadrati *mn* oppositum angulo *b*, ita vt gradus *o* veniat in lineam *ab* productam in *m*, gradus vero 45 in *n*. Tenue filum infra regulam *ad* et infra bacillum *mn* transiens *be* duco ad gradum datum 43°, 30′. in bacillo ex latere punctum *b* respiciente notatum, eritque angulus *mbe*=43°, 30′. Si iam eodem tempore tendat regula mea circa *a* mobilis in obiectum, quod voco Q, quod socius meus in B constitutus videt sub angulo ABQ, 43°, 30′, locus eius in mensula debet esse punctum *q*, vbi filum *be* secat regulam *a d*. Iunxi autem regulae *ad* in *a* paruam machinulam, quae eam retinet, ne ab acu recedat. Regula vero *ad* non ita proxime tota incumbit mensae, vt non infra illam filum *eb* libere transeat. Subiectum in extremitatibus paululum crassioris chartae fragmentum satis eam attollere potest; vt liber sit sub regula fili serici *be* motus.

§. XLIII.

Quodsi angulus ABQ maior sit semirecto, bacillum tangentialem applico lineae *cn* ita, vt gradus *O* veniat in *c*, tangens 45° in *n*. Tum filum infra illum transire debet, e. g. si angulus ABQ sit 57 graduum, infra gradum 33,

qui

qui est complementum ad 57°, si a puncto *c* versus *n* numeraueris. Verum in ipso bacillo singulis denis saltem gradibus adscripti sunt numeri graduum complementi ita, vt prope 30 sit 60; prope 10, 80 etc. (fig. 32.) quo commodius cuiusuis anguli complementum habeatur.

§. XLIV.

Si angulus ABQ etiam recto maior sit, e. g. 105°; applico bacillum tangentialem lineae *cf* ita, vt eius initium, seu *o* gradus veniat in *c*, et numero in bacillo versus *f* excessum anguli vltra rectum, in dato casu 15°. Infra tangentem 15° ergo filum transire debebit. At si non sufficiat linea *cf*, quia nimis breuis est, in latere minoris quadrati *gh*, vel latere *hi*; minore conueniente bacillo determino anguli dati supplementum, simili modo ac in maioribus lateribus *nc*, et *mn* ipsos angulos determinauimus, transeunte infra bacillum filo. Quodsi vero linea *bc* nimis propinqua sit margini mensae, vt quadrato minori non supersit spatium; linea NCF, quae pro hoc casu erit infra *cf* ducta, seruire poterit, vt ei applicato bacillo tangentiali radio *bC* conueniente, et plures etiam, quam solum 45 graduum tangentes exhibente, excessum anguli dati vltra 90° determinare possimus.

§. XLV.

Quotiescunque regula *ad* transit lineam *nf* (fig. 29.) quod saepissime continget, quia tum lineae *nc* aptari non potest bacillus tangentialis ei conueniens, si fieri possit, aptetur suus lineae *Nc*, et, in eo determinetur gradus anguli *abq*. Quodsi autem regula *ad*, *nc*, et NC pertranseat; tum quidem neutri toti aptari poterit bacillus suus. Verum (ponamus angulum *abq* peti 80°) aptetur lineae

neae alterutri bacillus tangentialis ita, vt tangens 45 graduum veniat inter *n* et *c*, et gradus anguli complementi 10 gradus secetur a linea *mn*, et filum transeat extremitatem bacilli seu tangentem 45°, eritque angulus $mbq = 80°$.

§. XLVI.

Pari modo, si regula secat lineam *mn*, applicetur extremitas bacilli, quae initium diuisionis seu gradum *o* habet ad lineam *mn*, et regulae gradus e. g. 30, si angulus *abq* debet esse 30°, veniat in *m*. Filum vero per extremitatem regulae seu gradum *O* ducitur. Si regula solam secet lineam *mn*, non autem lineam *MN* supra 45 gradus, poterit angulus in linea MN determinari.

§. XLVII.

Videamus nunc, qua ratione in mensam nostram areae cuiusdam campestris, aut fluuii, aut viae etc. imago couiiciatur, et obiectorum quorumcunque in area campestri positorum situs et distantiae determinentur. Fiat primo (fig. 28.) *ab* in mensula = AB in campo, proportionali puta mensura, et mensa in A posita sit ita, vt *a* immineat puncto *A* in campo, *ab* vero cadat in *AB*. Socius obseruator constitutus in B, quadrante instructus, aut quadrantis analogo instrumento, paratus est ad metiendos angulos, quos lineae ex B in obiecta occurrentia ductae cum basi BA faciunt. Tum tertius quidam homo prope littora fluuii, e. g. quem in mensam coniicere volumus, ambulans (fig. 30.) consistat aliquamdiu in singulis locis 1. 2. 3. 4. etc. vbi flecti sensibiliter fluuium aduertit. Quodsi campus inaequalis sit, collibus et vallibus asper, aut dumetis impeditus; gerit ille homo praelongam perticam cum vexillo in summitate, vt eminus facile

videri

videri queat, quandoque etiam opus erit ex minore mortario eiecto globo fumante, aut aſſurgente fumo loci, vbi conſiſtit, eminus ſignum facere. Vtcunque ſit, vbicunque conſiſtit homo ille, tendimus in erectum ſignum, ego ſimul et ſocius meus: ego dirigo meam in illum regulam; ſocius meus metitur angulum, quem linea illo tendens cum baſi BA facit, eumque mecum communicat: ego vero mox illum ex puncto B in menſulam transfero, ſecundum dicta §§. praec. et noto punctum *q* (fig. 28.) vbi filum ſub eo angulo tranſit meam regulam. Ita vna ſtatio poſt alteram, in qua conſiſtit noſter homo ambulans cum ſigno ſuo in ſingulis non nihil e. g. per tempus vnius minuti primi moratus, in tabulam coniicitur, iunctisque per lineas punctis (fig. 30.) 1. 2. 3 etc. ſtationum, fluuii ripa, aut via flexuoſa in menſam noſtram coniecta eſt. Similiter obiecta quaeuis, ad quae conſiſtit, in tabulam coniiciuntur. Si ille inſtructus ſit horologio portatili, et ego ſimiliter, notet ille tempus, quo in quouis loco conſtiterit, et locum, ego vero tempus obſeruationis: conferenti tempora innoteſcit mihi, quae fuerint ea loca, in quibus conſtitit, et licebit mihi ea in menſa ſuis nominibus aut ſignis indicare. Sic breui temporis ſpatio excipiemus ſat magnam aream plurimis, in ea obuenientibus notandis obiectis variatam, citra vllum perturbationis periculum, quod alias, niſi multo longiore tempore, et menſae ad confuſionem vitandam ſuperinducta ſaepius noua papyro, facere non poſſemus, habemusque in ipſa prima charta, qua menſa veſtita eſt, totius illius areae bellam imaginem, in qua diſtantias locorum ope circini ad proportionalem baſi menſuram examinare licebit. Quae quidem methodus penitus noua eſt.

T 2 §. XLVIII.

§. XLVIII.

Mentio etiam facta est in quaestione proposita dimensionis sine instrumentis. Quod quidem haud ita intelligendum existimo, ac si etiam catena, qua basin metimur, excludatur. Notae sunt praxes antiquae quae ope catenae et aliquot baculorum docent lineas locorum accessorum, et inaccessorum distantias metiri, quas Pentherus Geodaesiae suae parte II. Cap. 2. describit. Aio vero, etiam angulos nos metiri posse sola catena, exempli caussa (fig. 31.) metiendus in campo sit angulus ACB; posito baculo in C, extende catenam, quae aequet 10 pedes, e. g. vsque in *a*, ac defige ibi baculum, qui, oculo post C posito, tegat A. Similiter fac in *b*: tum catena metire chordam *ab*. Habebis autem ad manum pedem in 100 lineas diuisum, vt, si *ab* non exacte certum numerum pedum longa sit, etiam vltimi pedis partes determinare liceat. Ponamus fuisse $ab =$ 9 pedes 36 lin. ergo est $ac : ab = 1000 : 936$, dimidia chorda $ab = 468$ est sinus dimidii anguli *acb*: inuenies vero in tabulis numerum graduum huic sinui respondentium 27°, 55′, quo duplicato habebis angulum $acb =$ 55°, 50′. etc.

§. XLIX.

Percurri iam omnes notabiliores methodos locorum siue accessorum, siue inaccessorum distantias metiendi. Antiquorum praxes citaui; nouas meas explicaui, siue mensio fiat astrolabio, vt vocant, siue ope mensulae, siue sola catena; adieci modum sola libella aut tubo optico, aut adiuncto sectore, data basi permodica, distantias locorum sufficienter determinandi. Non descripsi aliena, sed attuli mea in vsum tironum aliquando vberius exponenda. Quapropter et quaestionis instituto, et desiderio Serenissimi Litterarum Fautoris satisfecisse me arbitror.

DIS-

DISSERTATIO
DE
LOCORVM DISTANTIIS
ABSQVE
INSTRVMENTIS GEODAETICIS METIENDIS.

Omnis diſtantiarum dimenſio cum aliud nil ſit, quam inuentio rationis diſtantiae metiendae ad datam quandam longitudinem, ſeu menſuram; ſine omni quidem menſura impoſſibilis eſt dimenſio. Metiri tamen baſim quandam geodaeta ſuismet pedibus poteſt, alterum alteri alternatim praeponendo. Verum haec quam lubrica ſit dimenſio, nemo non videt. Etiam ex tempore, quo ſonus datam diſtantiam percurrit, eius longitudo innoteſcit; ipſum tamen tempus ſine inſtrumento aliquo, horologio nempe aut pendulo, quomodo metiemur? Vtcunque, numerando pulſus arteriae, exiguum tempus metiri poſſumus quidem, ſed minime accurate; et inſuper ob celeritatem ſoni nimiam, niſi enormis ſit diſtantia per ſoni progreſſionem menſa, enormes in ea ſic metienda errores committantur neceſſe eſt. Itaque geodaetae ſaltem baculum ſuum viatorium ad baſim metiendam concedamus. Nemo enim inſtrumento geodaetico inſtructum ſe ait, quod cum baculo ambulet. Iam baculo Fig. 1. ſuo geodaeta ad metiendam AB ſic vtetur: Humi pro-

cumbens, oculo poſt A poſito, baculum humi iacentem diriget ad B, notabitque punctum *b* ad finem baculi, dum altera eius extremitas A contigerit. Promouebit dein baculum, vt iaceat in *bc*, ſimiliter ad B directus; et ita perget, donec ad B peruentum fuerit, ſciatque, quoties baculi ſui longitudo in linea AB contineatur. Tum vero ſi nota ſit in alia menſura longitudo baculi, facile erit longitudinem lineae AB in eadem dare. Exempli cauſſa ſit baculi longitudo $= 3', 4''$, linea vero $AB = 10\frac{1}{2}$ longitudines baculi; erit ea $= 35', 7''$.

Sic itaque metiri baſim baculo licebit: angulorum vero menſuram quod attinet, aio eam poſſibilem eſſe ſine omni etiam inſtrumento, niſi pedes ipſos et oculos noſtros inter inſtrumenta geodaeſiae referas. Attamen baculi ſaltem ſi inſuper vſum concedas, accuratior fiet dimenſio quam ſine illo. Ecce enim methodum metiendi angulos, fors hactenus a nemine vſurpatam, moleſtam quidem, non tamen inanem; quam vero in vſum deducere vt poſſit geodaeta, eum problemata aſtronomiae ſphaericae quaedam ſaltem non ignorare oportet, et ſoluere.

Fig. 2. Sit e. g. AB baſis. D locus remotus, geodaeta conſiſtens in A exſpectet tempus, quo ſolem ſupra D optice conſiſtere videat, ſeu vmbram corporis ſui directe a puncto hoc in plagam oppoſitam tendere aduertat, et mox metiatur ſuismet pedibus longitudinem vmbrae ſui corporis, ex qua altitudinem ſolis, et tempus diei: atque ex hoc demum azimuthum ſolis ſeu angulum FAD, quem linea AD (baſis quadrantis verticalis tum per ſolum transeuntis) cum linea meridiana FA facit, calculo eruet. Quodſi ei ſaltem virga quadam, aut baculo viatorio vti liceat, tutius erit illius vmbram ipſa hac virga metiri, et inde horam diei colligere, quam ex vmbra corporis ſui.

Simili

Simili modo inueniet angulum FAE, quando sol apparenter loco E imminet, et sic omnium locorum a meridiana linea AF distantiam, ac demum etiam angulum FAB, quem meridiana AF cum basi AB facit. Cognitis his angulis etiam anguli DAB, EAB etc. quas lineae fiduciae AD, AE ad loca, quorum situs exquiritur, tendentes cum basi AB faciunt, innotescunt: est nempe DAB = FAB — FAD, EAB = FAB — FAE. Datur etiam angulus DAE = FAE — FAD.

Sicut vero in statione A per azimutha solis angulus e. g. DAB exquisitus est, sic etiam in statione B, quando sol puncto D ex B viso apparenter imminet, angulus azimuthalis GBD, et dum puncto A imminet ABG et ex his angulus ABD = ABG + GBD exquiretur. Inuentis autem angulis DAB et ABD, et mensa basi AB communi trigonometrico calculo, AD et BD inuenientur. Inuentis locorum remotorum D, E etc. distantiis et sitibus respectu baseos AB, etiam eorum inter se distantiae determinari poterunt. Sic e. g. ex AD et AE atque angulo ADE linea DE per calculum eruitur.

Vti interdiu azimutha solis, ita sub crepusculum matutinum et vespertinum azimutha stellarum, quae singulari fulgore micant, ad determinandas locorum distantias et situs iuuabunt. Idem auxilium luna et planetae praestabunt, modo noctis horam ex ortu stellarum earumque situ cognoscere scias. * Et supplebunt haec sidera eorum locorum determinationem, quae, quia lineae meridianae nimis propinqua iacent, per azimutha solis aegre determinantur.

Altitudo enim solis circa meridiem cum parum mutetur intra horam etiam integram, tempori respondens azimu-

* Vide ephemerides Parisinas Maraldi.

azimuthum circa meridiem non ſatis accurate inuenitur, reliquo autem die ſatis accurate. Id etiam notandum eſt pro locis vltra lineam orientalem ſitis, eorum, dum vmbra corporis tui in illa tendit, ſitus reſpectu baſeos AB per oppoſita ſolis azimutha quaeri. Si enim exempli gratia angulum azimuthalem FAD cognitum habes, etiam angulus FAH, quem linea meridiana FA cum fiduciae linea AH, in locum azimutho ſolis oppoſitum tendente facit, vna innoteſcit. Vidimus iam poſſibilem eſſe locorum diſtantium etiam dimenſionem geodaetae ab omnibus inſtrumentis nudo. Nunc etiam ſi ei ſaltem catena, aut funiculi aut virga ſatis longa indulgeatur, praeſtare quid poſſit, videamus.

Vt angulorum quantitas in gradibus cognoſcatur, dimenſiones locorum remotorum, ad quae acceſſus non detur, ſolis catenis et baculis facere Pentherus Geodaeſiae ſuae, quae Auguſtae anno 1732 ſub titulo *Praxis geometriae* prodiit, parte ſecunda capite ſecundo docet. Verum quas affert methodos, ſolum in ampla planitie et pro locis non valde remotis ſuccedunt; afferam hic aliquam cum adiuncta demonſtratione, quam Pentherus omittit.

Fig. 3. Sit metienda diſtantia AB loci A ob aquas interiectas ex loco B inacceſſi.

1. Defige baculum in B, alium in C, ac tertium in b, ita, vt, oculo ad b applicito, tibi locus A a baculo in C defixo tegatur.

2. Tende funiculum ex b ad B, et metire lineam bB, eamque bifariam diuide in d, atque hic quoque baculum defige.

3. Metire lineam Cd, eamque refer in dc.

4. Pro-

4. Progredere in linea *Bc* producta, donec in *a* venienti tibi simul obiectum A per baculum *d*, simul baculus B per baculum C tegatur; et metire lineam *a b*, cui AB aequalis est.

Demonst. In triangulis *Cbd* et *cBd* per constructionem est *bd=dB*, et *Cd=dc*, et anguli verticales *bdC* ac *Bdc* aequales sunt, itaque etiam angulus *Cbd* est $=$ *d*B*c*, et *bA* parallela B*a*, et ideo A*a*B $=$ *aAb*: est vero etiam *adc* $=$ *AdC*, et simul *Cd=dc*; itaque triangula *CAd* et *cad* aequalia et similia sunt, et *Ad=ad*: ergo etiam triangula A*d*B, et *adb*, ob *Ad=ad*, *bd=d*B et A*d*B $=$ *adb*, sunt aequalia et similia, et est *ab* $=$ AB, Q. e. d.


Vniuersalis autem et minus operosa est solis catenis, aut sola etiam longiore virga, imo et baculo viatorio (sed cum hoc minus accurate) metiendi ratio.


In libero campo eligo tres stationes A, B, C, vt habeam tres bases AB, BC, CA, ex quibus omnium circum locorum distantias exquiro, aptissimam basin pro quauis metienda adhibens. Nempe posito baculo meo viatorio in B, ego in A consistens, nolo eminus obiectum aliquod, e. g. arborem, post baculum meum collocatum. (aliquod obiectum, cum libera sit stationum electio, quod post baculum in B positum appareat semper, inuenietur). Tum baculum meum ex B ad A reporto, et ad obiectum illud tendens metior baculo meo lineam AB. Idem facio cum lineis AC et BC. Difficultas solum aliqua est in eligendo loco C, vt post baculum in C collocatum inueniam tam in A quam in B obiectum aliquod post illum latens, at tentando et mutando aliquoties locum C res denique succedet. Duco dein circulos circa puncta A, B et C, quorum radius est baculus meus viatorius, saltem 5 pedes circiter longus, at si conceditur virga longior; aut cate- Fig. 4.

 na,

na, vtique maiore radio hos circulos describo; quo enim ampliores sunt, eo accuratior erit dimensio. Nunc superest angulorum dimensio: metiamur exempli caussa in A angulum DAB. Baculo meo in A erecto ego humi procumbens in circulo in terra exarato noto punctum *b*, vbi posito oculo arbor illa post B a baculo meo in A tegitur. Hoc notato oculo meo circulum hunc perambulans inuenio punctum *d*, vbi a baculo meo mihi D tegitur. Metior dein chordam *bd* (posui autem ante lapillos in *b* et *d*, vel feci signum in terra in vtroque loco) ex hac chorda ope calculi inuenio angulum *bAd* aequalem angulo BAD. Sic ergo metiri angulos licet inermi Geodaetae solo baculo viatorio, aut, si ei catena concedatur, sola catena. Mensis autem angulis et basibus omnes distantiae locorum et situs respectu basium innotescunt per calculum, imo et distantiae eorum inter se; cognitis enim lineis e. g. AD et AE, cum angulo DAE, tertium latus DE in triangulo ADE inuenitur.

Dedi ergo nunc duplicem methodum metiendi angulos sine geodaeticis instrumentis, vltimam solo baculo minus accuratam (accuratiorem cum catena), alteram satis exactam per sidera. Basin metiri necessario debet geodaeta, siue pedibus suis, siue baculo, si catena denegetur, quapropter et hanc problematis propositi conditionem omnino implesse me arbitror.


1
A b c B
2
G D F E A B H
3
A B C d c b a
4
A D B C E
b A d D B



J. D. Philippin geb. Sysangin fc.